diamur, juxta hæc Regii Prophetæ verba: *Descendant in infernum viventes*. Hæc constans fuit Sanctorum omnium praxis, atque præ cæteris S. Hieronymi, qui profitetur, se inferni actum metu deserta; ac solitudines petiisse, ut ibi inter scorpiones, ac serpentes vitam traduceret: *Ille ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere concluseram scorpionum tantum socius, & serpentum*. Infernus est divinæ justitiæ effectus, & locus ubi acerrimas ultiones exercet; verum simul est divinæ Misericordiæ instrumentum; & quod hominem sceleribus puniendis inservit, reis etiam hominibus servandis non minimum confert. Vulgo quodam in sensu dicunt, plures misericordia, quam justitia tusile damnatos; misericordia enim in hominibus peperit in ipsorum sceleribus præsumptionem. Sed simili ratione dicere possumus, plures justitia, quam misericordia servatos fuisse; quippe consideratio justitiæ cogit peccatores, ut per pœnitentiam revertantur ad Deum. *Sermo manuscriptus*.

De pœna damni, & privatione Dei.

Quid est pœna damni in reprobo? Maximus dolor est ex Dei amissione profectus. Hic autem dolor duo complectitur, Dei amissionem, & hujus jacturæ cognitionem. Et quemadmodum jactura hæc, nisi cognosceretur, non magnum dolorem afferret, ita dolorem, atque cruciatum pœnæ damni præsertim constituit intuitus, & cognitio, seu consideratio ejus boni, quod amissum est. Scio equidem in Scripturis passim infernum tenebrarum locum appellari, quia verum lumen longe illinc abest, nec unquam ibi videbitur Deus. Audeo tamen dicere, tot licet in inferis densentur tenebræ, ibi quoque lumen esse, & quemadmodum in cœlo lumen est gloriæ, quod Sanctos in admirabili ea felicitate constituit, ita & in inferno lumen esse damnationis, quod erit velut anima, & forma tormenti damnatorum. *Idem*.

De Inferno separatim.

Ut intelligatis quam gravi dolore torqueatur reprobus in inferno antequam etiam anima illius iterum corpori adhæreat, tria sunt consideranda; Dei omnipotentia ultionem deposcentis; creaturarum, quibus in ultione persequenda, veluti instrumentis utitur Deus, & insensibilitas animæ, quæ est in Dei vindicis manu. Nihil terribilius est quam Deus sine misericordia justitiam exercens, nihil efficacius, quam creatura ad inauditos effectus a Dei justitia, & omnipotentia elevata; ac tandem nihil calamitosius anima, quæ est iræ divinæ objectum, atque omnibus creaturarum viribus patet. Posthæc ne iscitemini utrum in inferno sensibiles adsint dolores, & quomodo spiritualis anima omnes agentis corporei impressiones recipere valeat. *Ex Sermonibus Moralibus, Sermone de inferno*.

De igne material, qui est in inferno.

Deus tres pueros in Babylonica fornace tuetur incolumes, quod sane miraculum est, a misericordia patratum; quamvis fornax illa septuplo magis esset incensa, quam consueverat; quamvis omnia ingesta fuissent nutrimenta, quibus ignis augeri posset, qui ad quadraginta novem cubitorum altitudinem assurgebat. At mirum non est; Deus enim ibi reliquerat ventum roris flantem, quo duplex elementi hujus qualitas sejungebatur. Sed quam terribilia, ævaque hæc sunt miracula, ubi illa operatur justitia! Anima damnata non deberet vim ignis sentire, quia spiritualis est; at illam sentit. Ignis in illam agere non deberet, quia mere corporeus est; agit tamen. Dei ultoris præsentia, & irritati Judicis flatus hos miseros torquet, qui citra miraculum non torquerentur. Flamma in Babylonis fornace Pueros non attigit, licet eadem illos circumundique obvolveret; & inferni flamma agit in animas, licet illi sint extra sphæram activitatis ejusdem. Deus ut ita dicam vindicem spiritum suum in hoc elemento constituit; quidem autem est, quod Deus facere nequeat? *Ibidem*.

De verme conscientiæ in damnatis.

Deus infinitis utetur suppliciis ad hostes suos puniendos; at duo præsertim sunt, ut ita dicam singularia, & exquisita justitiæ ejusdem tormenta: Alterum ignis est; alterum conscientiæ vermis. Ignis quidem extrinsecus, vermis autem intrinsecus discruciabunt; & conformitas, quæ inter utrumque adest, ea est, quod videlicet ignis numquam extinguetur, & vermis numquam morietur. *Ignis eorum non extinguitur, & vermis eorum non morietur*. Vermis hic, proprie loquendo, stimulus est conscientiæ in damnatis, dolor, & rabies, qua torquentur, eo quod in statu adeo deplorabili inveniantur; vermis, qui ex eorum peccatis, & corpis corruptione oritur, vermis, qui ex cauteriata conscientia, quo nomine illam Sanctus Paulus vocat, egreditur. Vitæ hujus tempore anima quodammodo extra se egreditur, Sanctus Bernardus ait, & ideo vermis hic levia tantum infert vulnera, quæ superficiem tantummodo, ut ita dicam, allambunt. Sed post mortem, atque in inferno, omnes aditus, per quos anima sperabat se effugere posse, illi obstruuntur; solatia, voluptates, occupationes, distractiones, requies, & lassitudo corporis, somnusque, nihil illius juvare poterit egressum. Quidquid adnitatur, necessario semper in se clausa permanebit, quin extrinsecus aliquem exitum valeat invenire. *Ibidem*.

Mare. 9.

Quid? inquiet reprobus, ex tot lacrymis, quas effundo, ne una quidem mea poterit scelera abluere? Tot inter amicos, & consanguineos, qui in Beatorum numero recensentur, ne unus quidem ad Judicis pedes provolutus pro me deprecabitur? Intercessores, numquam opem vestram imploravi, cum mihi favere poteratis. Austeritates, ego vos neglexi, cum mihi eratis salutares: inspirationes, vos ego contempsi, cum me officii admonebatis, atque, ut pœnitentiam agerem urgebatis: Sacerdotes, numquam ad vos confugi, cum eratis Jesu Christi Ministri, Sanguinis ejus œconomi, & gratiarum ipsius dispensatores: vobis aures non adhibui æternas veritates mihi nunciantibus, atque veritates illas fabulas duxi; consilia, minasque vestras in ludibrium traduxi, cum efficiebatis, ut ea, quæ patior, mala præsentirem, meque ad ea per pœnitentiam prævertenda hortabimini. Nunc equidem sentio, veritatem per os vestrum fuisse locutam, atque funesta doctus experientia intelligo æternas flammas, quas toties mihi descripsistis, longe ardentiores esse, quam exhibebantur a vobis. Sed nullum superest malo remedium; salutis meæ tempus abiit, & nihil mihi nisi pœnæ meæ restat æternitas. Triste momentum, quo genitus fui! Crudelis voluptas! Crudelis honor! crudelis habendi cupiditas! crudelis ambitio, quæ me perdidisti! nefariæ voluptates, omnes dulcedines vestræ præterierunt; sed ea tormenta, in quæ me præcipitem dedistis, non præteribunt. Infelix libertas! pro voluptatis momento, me suppliciorum æternitate obruisti. *Fromentieres in Quadragesima. Sermone de Inferno*.

Reprobum Deus in æternum derelinquit & simul justitia sua illum persequitur.

Magnum peccatori malum est a Deo in vita hac derelinqui; sed nullus peccator ita derelinquitur, ut non habeat gratias ad resurgendum. In inferno solum peccator omnino destruitur. Erga solum damnatum divina Misericordia omnino exhausta, & exinanita est, ac Deus est inexorabilis: illius non recordatur amplius, nisi ut ipsum tamquam crudelissimum hostem persequatur, quo irreconciliabili odio infectatur. Fateor equidem terribile spectaculum esse videre Deum in terræ centro effodientem abyssos, ibique excitantem ignes, dæmonesque tamquam sub stipendiis habentem, ut ibi in omnem æternitatem miseram torqueat, & comburat creaturam. Sed non miror, cum altera ex parte cogito, vilem creaturam eo insolentiæ evasisse, ut contra Creatorem suum insurgere non dubitaverit, terræ vermem ausum fuisse bellum indicere illius tremendæ Majestati, & peccatorem sexcentis a Deo beneficiis cumulatum, amatum, & conquisitum, ingratum extitisse, atque tot beneficiis minime commotum contempsisse pedibusque conculcasse divini Sanguinis pretium, quod re ipsa magis mirum debet videri. *P. Texier Sermone pro feria sexta post alteram Quadragesimæ Dominicam*.

Exclamationes ad æternitatis conspectu.

Captivi æterni, in horribilibus carceribus detenti, Æterni carnifices, quoniam dæmones sunt, ac spiritus immortales; Æterna supplicia; Ignis, qui non extinguitur, vermis, qui non moritur; æternæ pœnæ dolor, & sensus. Deficiunt cogitationes meæ in terribilis hujus æternitatis diuturnitate. Numquam ex illis fornacibus egredi! æternum comburi! O iræ Dei mei æternitas! Æternitas rabiei, furoris, desperationis! O infelices linguæ, quæ æternum aquæ guttam peteris, vobis in æternum negandam! O tristia corpora æternorum ignium pabulum futura! O infelices animæ, quę in æternum sentire debent divinæ indignationis pondus, & effectum! Infelix æternitas! quisnam est atheus, impius, infidelis, qui te non credit? Vel quis est ille qui te credit, nec metuit? *Ex pluribus locis Auctoris ejusdem*.

Plerique Fidelium vel sensu, vel fide carent in iis, quæ ad pœnam

Etiamne Christiani, Fideles estis, & Ecclesiæ Filii? Si tales estis, creditis ergo pœnarum æternitatem: *Credis hoc?* Idne creditis? Respondete; credisne? Si creditis, Isaiæ interroganti respondete: *Quis poterit ex vobis habitare cum igne devorante, & ardoribus sempiternis?* Tantumne animi viriumque inest

rum pertinent æternitatem. *Isai. 33.*

inest vobis, ut ignis æternitatem ferre possitis? Negatis; quomodo ergo hos æternos ignes creditis, quandoquidem nihil intentatum relinquitis, ut in æternum illi voremini? Sed jure affirmare possum, vos aut hæc minime credere, aut insanos, ac furentes esse interitum vestrum quærentes. Prophetæ omnes, ipse Dei Filius, ejusque Apostoli protestentur, institutum a vobis vivendi genus ad ferrimam hanc adducere æternitatem; attamen vos minime pœnitet, nec vivendi rationem immutatis; hoc igitur apertissimum est indicium, nos neque Prophetis, neque Apostolis, neque Jesu Christi credere Evangelio. Accede huc peccator pertinacissime; libram accipiamus, & in altera quidem lance statuamus ignem hunc, qui non extinguitur, hunc vermem, qui non moritur, dentium stridorem, rabiem, æternamque damnatorum desperationem; in altera vero creaturam illam, quæ jam pridem te perdit, atque prævalens tuum fascinat cor. Aut damnatum esse oportet, aut hanc intercidere consuetudinem. Hanc relinquere detrectas nolis, ergo infernum esse non credis. *Cur credis, quod Deus vixit*, Salvianus interrogat, *& non times, quod Deus minatur? Idem*.

Apostrophe ad damnatos in medio flammarum.

Videre mihi videor inter flammas tot reprobos tamquam pabulum ignis; iisque ea dicere posse, quæ olim Ethnici; cum hoc tamen essentiali discrimine, quod illi hæc dicebant Sanctis martyribus rogo impositis, ego vero damnatos alloquor: *Ambulate accincti flammis vestris, quas accendistis*. Victimæ inexorabilis justitiæ Dei, ambulate cum hisce flammis, quibus estis circumdati, & quas vos accendistis; eas vobiscum quocumque deferte, donec quæratis solatium, quod judex, a quo damnati fuistis, denegat vobis, & quod nihilominus ab alio exspectare, & recipere non potestis: *Ambulate accincti flammis vestris*. Vel potius, permanete inviti alii aliis superadditi, igneis catenis vincti candentibusque vinculis compediti, quæ vos in tristissima detinent captivitate. Et questibus abstinere, malum enim vestrum proficiscitur a vobis: vosipsi accendistis hunc ignem, qui alitur in sinu vestro, & undenam? ex vestris videlicet iniquitatibus, impietatibus, impunitatibus, obscœnitatibus: *Accincti flammis vestris, quas accendistis*. Illum extinguere velletis, sed frustra: Deus ipse, qui illum vobis acerbe adeo applicat vobis, eumdem in æternum applicabit. Quodnam prodigium! Ignis semper comburens, quin absumat unquam subjectum, cui adhæsit, & quin ipse unquam absumatur; itaut post decies centena annorum millia semper idem perseveret subjectum, iisdem semper impressionibus aptum. *P. Giroust Tomo 2. Quadragesimæ Sermone de inferno*.

Æternitatis cogitatio, quam terribilis sit.

Omnibus mundi remotis cogitationibus, temet ipsum coram Deo colligens mature, atque serio hæc duo excute verba; *semper, numquam*. Brevia sunt, sed in brevitate sua adeo terribilia, & efficacia, ut tremorem, terroremque infinitis propemodum injecerint peccatoribus, eosque ad pœnitentiam revocaverint. Numquam extra ignem illum, cujus nulla res moderari, cujus nulla res exæquare potest ferventissimos æstus; numquam extra illum; semper in illo, semper! Nunc in terris unica passionis dies, immo etiam quin aliunde aliquis accedat dolor, unica dies in eodem statu, situ posita, pro me temporis spatium esset prope infinitum, & dolor hic propter ejus diuturnitatem non ferendus mihi videretur; neque requireretur aliquid ultra ad omnem patientiam meam delassandam? Quid igitur erit de æternitate, atque flammarum æternitate? *Idem*.

Pœnarum æternitas.

Maxima quæcumque mala, cum brevia sunt, pro levibus sunt habenda; sed levissima quæque magna fiunt, cum sunt diuturna; sin autem fuerint æterna, fiunt infinita: Quid igitur dicendum de malis universalibus, assiduis, & quodammodo infinitis, si præterea fuerint æterna? Augete, prout vobis libitum fuerit, damnatorum supplicia: proferte longius, quam vestra cogitatio valeat, durationis eorum terminum; si posthæc illis auferatur æternitas, infernus ultra infernus non est. Miseri illi non sunt amplius damnati, quia non sunt amplius desperati; auferte e contra magnam pœnarum partem, quibus damnati torquentur; nisi auferatur æternitas semper subsistit infernus: & licet tanta fiat pœnarum imminutio, semper damnati sunt, semper infinite miseri, quia miseri erunt in æternum. Æternitas omnibus damnatorum pœnis immiscetur, ac tade gravissimum illis accedit incrementum. Si cogitare possent, malum suum æternum minime futurum; vel saltem si hujus æternitatis possent aliquando obliviscі, tunc temporis damnatos esse desinerent. Æternitas damnato est, veluti immensus orbis, sub quo miser gemit. Orbis quidem hunc unico tantum attingit puncto, attamen toto gravitatis suæ pondere illum obruit. Damnati quodlibet momento, Tertullianus ait, totius æternitatis sustinent pondus. Eorum spiritus cum Dei justitia conspirare videtur ad eos torquendos, & illis quolibet momento repræsentans omnia futura mala, hæc quodammodo præsentia reddit, omnemque in unum punctum colligit æternitatem, ut opprimat illos. *P. Neppveu in Considerationibus, Tomo 1.*

De igne Inferni.

Non deerit in inferno ignis, qui reprobos torquebit, & etiamsi non alia nobis superessent argumenta, sola ratio hoc debet evincere. Malorum maxima, quod peccatum est, jure maximum debetur supplicium. Humana mens non agnoscit aliud igne pluriorum. At quomodonam materialis hic majus supplicium. At quomodonam materialis hic ignis spiritualem animam torquere potest? Quomodo hoc fiat non intelligo, at scio, Deum dicere, hoc fieri, & hoc mihi sufficit. *Idem*.

Quantum dolore afferat damnato cogitare, quod ipse salvare se potuit.

Quid aliud in corde damnati, præsertim vero Christiani, parere possunt, nisi desperationem hæ cogitationes: salvare me potui; memetipsum perdidi? Natus in Christiane Religionis sinu, ac in ipsa Fidei luce, in Ecclesia Catholica educatus, nihil eorum desiderare potui, per quæ facillime salutem meam poteram operari. Tutissimos habui duces, qui in viis Domini me dirigerent: divinum verbum, Sacramenta, adorabile Corporis, Sanguisque Dominici Sacrificium, Sacerdotes, Concionatores, Confessarii, omnia mihi eam sternebant viam, quę ducit ad vitam. Sexcentæ secretæ inspirationes, sexcenti eventus a divina Providentia dispositi, sexcenta vanitati hujus mundi, mobilitatis humanarum rerum, fragilitatis voluptatum centies me revocarunt ad Deum. Attamen in interitu meo obstinarunt ad Deum. Attamen in interitu meo obstinarunt ad Deum. Tot licet mihi suppegerent gratiæ, interii. Protus, tot licet mihi suppegerent gratiæ, interii. Protus, propter quid autem has gratias contempsi? Propter momenti unius voluptatem, quę doloribus erat permixta, quam fastidium, & sæpe etiam conscientiæ stimuli exceperunt. Eheu! si ineptis hisce voluptatibus indulgens mortis tantummodo periculum subissem, minus mihi obnoxiam imprudentiam dolendum esset. Sed amarissime, semperque tamen inutiliter doleo, quia mori non possum, quia propter breves has, fragilesque voluptates memet objeci iis malis, quę nullum sunt finem habitura. Etenim gratiæ amissæ vos numquam recipiam, mala infinita, quibus obruor, numquam cessabitis; ignes, quibus uror, estis æterni: vermis, qui me depascis, es immortalis; tenebræ, quę me circumundique involvitis, semper manebitis; chaos, quod a Deo me separas, semper mihi eris insuperabile. Quid aliud, iterum dico, in damnati corde hujusmodi cogitationes parere possunt, nisi pœnitentiam inutilem, teterrimam tristitiam, amaras redargutiones, terrores horribiles, acutissimos stimulos, atras desperationes? *P. Aurelianensis, Sermone de pœnis Peccati in altera vita*.

Damnati jugiter intenti sunt sensui doloris.

Hic doloris effectus est animam exiguis temporis partibus applicare. Jucundis rebus applicatio efficit, ut ne sentientibus quidem tempus elabatur; sed dies immo etiam doloris hora aliquid diuturnum est, & eo diuturnius, quo acrior est dolor. In mediocribus malis dies numerantur, in gravioribus etiam horæ; sed cum damnatorum mala extrema sint, illi ipsa etiam momenta, quodammodo recensebunt, quorum infinitas invenitur in minima illius, quam æternitatem vocamus, particula; si tamen æternitas partes habere potest. Quocumque sese mens illorum vertat, nihil videbunt, quo non afflictentur; omni carebunt solatio; ac nulla spes illi erit, qua suam lenire valeant infelicitatem, *Sermones Christiani, de inferno*.

Reprobi eorumdem scelerum fontes simul ardebunt.

Qui eorumdem scelerum socii extiterunt, tamquam in fasciculos collecti in infernum projicientur, juxta Filii Dei verbum: hoc est, Sanctus Augustinus addit, libidinosi in gremio eorum, qui libidinum suarum socii fuerunt, ardebunt, adulteri cum adulteris, fures cum furibus; quod illos coget immortali sese invicem bello lacessere tamquam clausas tigrides, quæ sese ultro, citroque dilaniant, cum fame urgentur in cavea, ubi interitus illis paratur. Hoc non extremum erit ex terribilibus Divinæ justitiæ consiliis, damnatos per eorumdem scelerum consortes punire, quemadmodum olim rei in amphiteatris Romæ inter se dimicare ju-

bebantur, ut scelesti scelestorum manibus confossi interirent; & ne lex teneretur innocuos homines dedecore afficere, illos efficiens hominum improborum, quos vita indignos arbitrabatur, carnifices. *Idem.*

Descriptio inferni ex D. Chrysostomo.

Isti Pharaonis imitatores non submergentur quidem in mari rubro, sed præcipites dabuntur in pelagum ignis ardentes flocfus eo magis terribili ratione volventis, quo magis nos later. Hæc abyssus est nullum habens finem, cujus vivida, & subtilis flamma circumquaque currit, atque adeo acrem dolorem gignit, ut sævissimarum etiam belluarum morsus exsuperet. Si minime possumus vel voce significare, vel assequi mente pœnam eorum, qui sensibili, ac terræ hujus materiali igne torquentur, quomodo exprimi possent eorum tormenta, qui iis uruntur flammis, quas iræ Divinæ flatus succendit? Si quis istic in ignem conjicitur, momento consumitur; sed ignis ille semper urit; & numquam absumit, quod urit. Inferni ignis, Dei Filius ait, erit veluti sal, qui intime damnatos penetrabit, eosque conservabit, non destruet, ut semper sint tamquam totidem victimæ Divinæ ultioni immolatæ: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. Abbas de Monmorel pro 19. post Pentecosten Dominica.*

Mars. 9.

Inferni cogitatio potest esse ut patienter vitæ hujus mala preferamur.

In malis, & ægritudinibus, quę accidunt nobis, nobismetipsis dicamus: Quod patior, parne est pœnis inferni, quas toties meritus fui? Toleramus in hoc mundo, sed toleremus patienter sine murmure, tranquille sine tumultu, si cum merito, & fructu cupimus tolerare; omnes enim hujus vitæ passiones plurimum nobis prodesse possunt, & nihilominus si cum æternis ignibus comparentur, quos nimis etiam fecundum Divinæ justitiæ ordinem promeriti sumus, nihil sunt aliud nisi ros, & dulcedo. *Drexellius.*

De iis, qui putant Deum infinite bonum non puniturum esse tanta cum severitate scelera nostra in æternum.

At enim bonus est Deus, neque credere potes, infinitam hanc bonitatem æternis suppliciis in peccatores esse animadversuram. Ego vero ajo, Deum, quia infinite bonus est, insensissimum esse hostem peccati, quod cum minime punire possit ea pœna, cujus vis, & vehementia infinita sit, illud punit pœna æterna; atque affirmo ex eodem infinitæ bonitatis principio opus esse, ut Deus malum oderit, quod est peccatum, atque illud, ubicumque invenerit, persequatur. Nihil in terris est, Tertullianus ait, quod tantum Dei bonitatem ostendat, quam videre, quod improbitatem pati non potest, quin illam puniat; cum enim Deus suam diligat bonitatem, opus est, ut peccatum eidem oppositum oderit, & puniat. Hoc in sensu id intelligebat Sanctus Joannes in Apocalypsi: *Quis non timebit te Domine, quia solus pius es?* Cur non dicis potius, Apostole, quis non timebit Domine, quia justus, & vindex es; atque peccatores gravissimis pœnis coerces? Haud ita: timores nostri Dei bonitatem respicere debent; & si *per adynaton* res nobis esset cum malo Deo, non tam metuendum nobis esset ob læsum numen, quam timere debemus, quod Deum nostrum, ipsam videlicet bonitatem, offendimus. Et ratio est, quia bonitas ipsius seipsam amare non potest, quin oderit, destruatque contrarium suum, namque peccatum, Theologi omnes docent, Deum ob unum tantummodo mortale scelus animam æternis adjudicantem suppliciis eam minus severe punire, quam mereatur: cur autem? quia ignis inferni, sit licet æternus, finita est creatura, & anima quoque eidem addicta in essentia sua finita est; sed læsus Deus ens est infinitum, & actio contra ipsum peracta, moraliter est infinita. Infernus igitur cum omnibus suppliciis suis nihil habet uni mortali crimini par; & numquam homo peccator in ipso etiam inferno satis pro meritis cruciatur; infinitum quippe delictum infinito supplicio esset puniendum. Sed ubi invenietur? illius enim capax non est aliquid creatum. Oportuit ergo, ut hæc pœnarum infinitas, quam creatura pati non potest, æterna pœnæ ejusdem duratione pensaretur. *P. Antonius a Sancto Martino a Porta.*

De privatione Dei.

Dei privatio gravissimum est, & quod minime omnium mente concipi queat, damnati supplicium: Hoc proprie loquendo verum est, ac essentiale ejus malum. Privatio hæc in damnatorum anima contrarios excitabit motus, qui illam in æternum laniabunt. Nullam in terris doloris hujus habemus imaginem. Ultro ab eo recedimus objecto, quod odimus; damnatus Deum odio insectabitur, ac simul enixe ad Deum accedere cupiet. Quanam pœnæ species? Infelix, licet odio furat, de Deo nobilius, ac dignius, quam unquam cogitabit, ei nihilominus maledicet; horrescet tamen cum suos audiet tortores gloriantes, quod ipsum in vinculis teneant, eumque legitimo Domino abstulerint. Jesus Christus mortuus est, ut Patri suo animas lucraretur, attamen hæc trophæa erunt, & præda miseri hostia, propter scelus suum in abyssos dejecti. Dei eram, damnatus inquiet; factus eram, ut illum possiderem; at demon in me suum crudele imperium exercet, deque meis malis gloriatur. Quę crudelis indignatio; quam gravis dolor! *Auctor Anonymus.*

Damnatorum infelicitas, sed inutilis pœnitentia.

Hic Deus est, inquient miseri, qui nos creavit, qui nos redemit, qui nihil intentatum reliquit, ut nos in salutis viam revocaret; & hic ille, quem eousque irritavimus, ut nosmet iræ illius traderemus. Hic Deus est infinitas habens illecebras, omnes in se complectens pulchritudines, omniaque bona continens; hic tamen ille, quem læsimus flocci facientes periculum, quod subibamus, ut a facie illius rejceremur, atque interiremus. Hic Deus est, qui nos suis allicere cupiebat beneficiis, ac amoris sui testimoniis attrahere, qui maximis nos cumulaverat gratiis, qui pro nobis suum effuderat sanguinem, sua impenderat merita, suum Regnum reliquerat, qui tantum operatus, passusque fuerat, ut nos in absolutissimæ felicitatis possessionem adduceret. Quid de sceleribus suis cogitet reprobus? Confusio, quod minime usus fuerit tot salutis suæ adminiculis, non solum erit illius pœna; verum nescio, utrum post Dei privationem ullo graviori sit afficiendus supplicio. *Idem.*

Humilitationes quas damnati patiuntur.

Quænam humiliatio illi, qui antea præ aliis enituerat, miserorum pedibus proteri, ignorari, contemni, oblivioni tradi, ac sine ulla miseratione crudeliter excipi? Quænam homini, qui aliis imperare, suamque explere voluntatem consueverat, fieri miserum mancipium, & a crudelibus, infamibusque tortoribus obrui catenis? Quænam illi, qui inter delicias versabatur, nullam ultra sperare posse voluptatem, atque horribilibus, æternisque suppliciis damnari? Nullam umquam obtinere existimationis, honoris, miserationis, clementiæ, amicitiæ notam, semper increpationes, irrisiones, omniaque gravissimi contemptus, & odii argumenta. *Idem.*

Rationes æternitatis damnatorum.

Supremum, quod in creata omnia Deus exercet imperium, illum cogit, ut æternis in inferno pœnis puniat peccatores. Hæc rebellia nihila, quemadmodum a Sancto Ambrosio appellantur, contra Deum insurrexerunt, atque in scelestissima sua agendi ratione a supremo illius nutu pendere detrectarunt. Vixere quasi licuisset ipsis divinam eludere auctoritatem: opus tandem est, ut Deus majestatis suam potestatem ostendat illorum defectionem eo puniens supplicio, ex quo palam & illius imperium, & suam intelligant servitutem. Crediderunt se effugere posse criminum suorum pœnam; ideoque justum est, ut illam in æternum patiantur. Si peccati nequitiam ad examen revocabimus, inveniemus minorem inferno pœnam, eidem parem non esse. Hoc autem facile cognoscit, qui serio cogitat bonum, quod culpa lædit, bonum, quod ad eam reparandum requiritur, bonum, quod per illam destruitur; hęc enim omnia infinita sunt. Deus infinitum est bonum, quod peccato offenditur; gratia Jesu Christi, & gloria, quam ille nobis pollicetur, est, ut ita dicam, bonum quod peccato destruitur, bonum vero, quod ad illud reparandum requiritur, sunt merita Dei. Peccatoris etiam pertinacia divinę justitię probat severitatem. Ejus nequitia semper subsistet; ita quia Dei ira, numquam leniri, neque ultio ejus experiri poterit, numquam ab eo puniendo cessabit; quemadmodum peccatoris voluntas semper divinæ opposita erit voluntati; Deus semper hanc puniet oppositionem. Et nonne re ipsa æquum est, ut Deus in justitiæ suæ decretis æque sit immutabilis, ac peccator in suę voluntatis improbitate, eumque erga hunc æque inexorabilem esse in omnem æternitatem, ac iste immotus persisterit in omni vita omnibus afflatibus ejus? Omnem vitam suam iste traduxit Deum lædens; Deus quoque suam impendit æternitatem illum puniens. Denique Dei sanctitas poscit, ut peccatorem æterno puniat supplicio: in quo enim sanctitas ista consistit? proculdubio in odio peccati, & summetipsius amore. Amor igitur, quo seipsum prosequitur, mensura est odii, quo peccatorem insectatur. Hoc igitur infinitum esse debet, quemadmodum amor ille infinitus est, ideoque peccatum puniendum est ea ratione, quę par sit odio, quo hoc inferni monstrum persequitur, & ęquum est, ut supplicium, quod peccatoribus præparat, ut severissimam ex illis ultionem sumat, tandiu permaneat, quandiu ipsum odium vigebit. *Auctor Anonymus.*

De peccatorum in Inferno obstinatione.

Operæ pretium est in peccatoris obstinatione post mortem duplicem immutabilitatis speciem considerare: etenim quemadmodum qui in hoc mundo sunt, temporis naturam imitantur, quod motus est successivus; qui semel in alteram migraverint, immobilitatem æternitatis imitabuntur. Itaque in reprobis hisce peccatoribus semper aderit immutabilis cognitio veritatis, quam non amabunt, ac æternum peccatorum, quæ patraverunt, & quorum ipsos minime pœnitebit, odium. Ideo in æternum illis nefarias suas in Deum animi dispositiones foventibus, Deus numquam eas assumet, quę illis gratiores possint accidere. *Idem.*

Idea, quam concipere debemus, infelicitatis reproborum in Inferno.

Nostis quod damnatum esse idem est ac esse a Deo reprobatum, a Deo odio habitum, a Deo maledictum, a Deo in omnem æternitatem semotum, in æternum ab omni bonorum, voluptatum, bonorum, & rerum omnium, & quæ cordis nostri aviditatem explere possunt, fonte separatum; esse Inferni victimam omni dæmonum furori sacrificatam, omni crudelis ignis, immortalium incendiorum, flammarumque ultricium quę nullam damnatis requiem, nullam intermissionem relinquent, severitati perferendę destinatam: ut verbo me expediam, in æternum esse infelicissimum. Veritates has ignorare non possumus; sed mirum nonne est, nos, cum hæc noverimus, non vereri, ne in malum hoc adeo terribile proruamus? *Sermo manuscriptus.*

Ejusdem argumenti.

Descende spiritu quandiu tibi libitum fuerit in locum hunc ira divina repletum; descende illuc cum luminibus perspicacissimis Sanctorum, qui præ cæteris doctrinę laude excelluerunt; finge tibi quidquid horroris, ac suppliciorum, excogitari potest; adde sævissimos torquendi modos; omnes horrores isti, hæ pœnæ omnes ad inferni cruciatus me pro procul quidem accedent, idque æternum: in æternum, donec Deus erit Deus: idque fine ulla consolatione, sed ea mera erunt tormenta. Finge tibi infelicis animæ statum, quæ his damnata suppliciis, ubi pœnarum magnitudinem incipit experiri, palam intelligit, eas numquam defecturas. Quæ rabies! quæ desperatio! Extremos pati cruciatus, ac citra quamcumque dubitationem scire illos nullum finem habituros! Deum hostem habere in omnem æternitatem, qui in æternum Divinæ iræ suæ flagella in calamitosos effundet! Hostes habere omnes beatos Cœlorum incolas! Illi etiam omnes, qui in inferno sunt, rabido sese vicissim odio persequentur, quo acti ultro citroque sese laniabunt. *Liber sui titulus: Christianus ignotus.*

Consideratio damnatorum, qui per scelus suum tantam sibi conflarunt calamitatem.

Ego damnatus sum, reprobus inquit, ego, cui tot aderant causæ, tot adminicula, quorum ope in Electorum albo facile recenserer. Ego damnatus sum, ego qui tantopere in terris enitui opibus, genere, honoribus, nunc cum sceleratissimo quoque permixtus sum! ego, qui inter delicias nutritus fui, qui voluptates amavi, nunc æterno damnatus sum igni; cruciatus omnes sunt hæreditas mea, & habitatio mea infernus. Et futurum non cogitamus! & in præsenti obstupescimus, & quænam futura sit sors nostra in altera vita non quærimus! *P. Croiset, Tomo 2. Recessuum.*

Magnitudo jacturæ, quam subit damnatus amittens Deum.

Intelligendum esset, quid Deus est, ut cognoscemus, quam grave tormentum sit illum amittere sine spe eumdem iterum inveniendi. Hac jactura modo parum efficimur, sed aliter judicamus cum illam subimus. Æternum cogitare, non defuisse mihi Redemptorem, me vero pretio redemptionis ejusdem uti noluisse! Cogitare usquequo me dilexerit Jesus Christus, & cogitare, me non posse in æternum illum diligere: neque in æternum ultra me ab eo dilectum iri; illum numquam misericordiam esse malorum meorum; illum non ultra nisi indignabundos in me oculos conjecturum esse; manus ejus pro amore meo confossas, nonnisi fulmina, ac tela in me esse ejaculaturas! O horrendam imaginem! O crudelem recordationem! O sortem! O malum incomprehensibile! *Idem.*

Acerbissima æternitatis idea.

Cum damnatus in ignitis illis carceribus incomprehensibili jam temporis spatio pertulerit; hoc ne horæ quidem quadrans est ratione æternitatis. Cum tempus jam everterit domos, quas extruxistis, solo æquaverit urbes, qui nati estis, susque deque perturbaverit regna, ubi vixistis, sæculorum finis jam universum terrarum orbem cineribus suis tumulaverit, effluxerint etiam tot sæculorum myriades, quot momentis mundus stetit; nihil adhuc effluxisse de terribili æternitate censendum erit. Si damnatus es, tantum tibi perferendum est, quantum erat primo eo temporis momento, quo in has flammas conjectus fuisti. O æternitas! incomprehensibilis æternitas! quis te credere poteit, & vel uno momento in peccato vivere? & vel uno momento pœnitentiam differre? *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Infelices iræ Omnipotentis victimæ! infortunati reprobi! Tempus erit, cum vere dicere poteritis: post obitum meum; ex quo iis uror flammis, si formica unicum atenæ granum in mare gestasset, atque nonnisi post elapsos annos mille iterum id ipsum peregisset, jam arenam omnemque totius orbis terram transtulisset, atque in centrum usque mundi altius defodisset, & nihil jam supersesset. Tota hæc terribilis duratio temporis effluxit, ex quo sævissimis cruciatibus torqueor, & adhuc integra superest æternitas, qua sum excruciandus; & infinitus hic myriadum sæculorum numerus, millies, ac millies iterum inceptus nihil est, ubi cum terribili hac æternitate comparatur. Si mihi acerbissima contigerit calamitas, ut aliquando damnandus sine toto hoc tempore patiar, & potero etiam affirmare, totum hoc temporis spatium millies, atque decies, centiesque millies elapsum fuisse ex eo tempore, quo flammis torqueri occœpi, suppliciorum vero meorum durationem ne unius quidem momenti spatio fuisse imminutum, mihique adhuc integram supereesse æternitatem, qua patiar, incendat, ac desperem. O terribilis æternitas! incomprehensibilis, inexcogitabilis æternitas! pro unius tantum momenti nefaria cogitatione, tot elapsa sunt decies centena sæculorum millia, quot dies, vel etiam horas in mundo vixi, & quot momenta in diebus illis enumerantur. O Deus quænam isthæc est proportio! Proh si tempus saltem venturum esset, quod his pœnis finem imponeret! sed certum esse, numquam, numquam tormenta hæc defectura; semper torqueri, ac certo scire semper se esse torquendum. *Idem.*

Tristes damnati cogitationes per omnem æternitatem.

Æternum cogitare infinitum illud bonum, cujus jactura facta est; innumera mala, in quę lapsi sumus, facilia, & frequentia eorum evitandorum remedia; ob oculos habere semper vanitatem, brevemque earum rerum durationem, quæ nos a Deo averterunt, ineffabilem dulcedinem, quam in illius servitute essemus experti, reales etiam pœnas, quæ nobis fetendę fuerunt ad hoc etiam, ut damnaremur; infinitum discrimen, quod aderit inter eas difficultates, quæ nos a virtutis semita deterruerunt, & pœnas, quibus in medio flammarum torquebimur, inter vix sentibilem obscœnarum quarumdam voluptatum durationem; & pœnarum, quę illam subsequentur æternitatem; semper ob oculos, ac in mente formidabilis hujus æternitatis cogitationem habere, quin ne uno quidem momento ab ea animum deflectere: Quænam supplicia, o Deus! quænam desperatio! Hoccinæ satis intelligo? & id si intelligo, quomodo aliquem in voluptatibus gustum invenire possum? Quomodo vivere possum in peccato, ac pœnitentiam differre? Si hæ cogitationes nos nequaquam convertunt, si horribilium horum cruciatuum, terribilis hujus æternitatis, æterni hujus doloris conspectus nos a peccatis omnibusque inanibus vitę hujus voluptatibus non deterret, vel rationis usu destituti sumus, vel Christiani non sumus. Terribiles hę veritates effecere martyres, frequentarunt solitudines, & hodierna quoque die Cœnobia replent, & Asceteria; quę nostra mens est? Illine merito hoc faciunt, & fecere? *Idem.*

Multitudo, & varietas tormentorum, quę in inferno perferuntur.

Fruftra quis quæreret quot suppliciorum genera in calamitosissimo eo loco inveniantur; verum ut aliquam eorum concipiatis ideam, fingite vobis omnes morborum, dolorumque species, qui hac in vita, & in quacumque terrarum plaga perferuntur, ac pro certo habete, nullum eorum in inferno desiderari; quamlibet corporis partem, quemlibet sensum, quamlibet animæ facultatem suum ibi supplicium pati, neque unum dumtaxat; simul gravissimis cephalæis, acerrimis colicis, nephriticis doloribus, chiragra, ossium luxatione, rabida fame, ardentique siti laborari; de extremo frigore in maximum calorem transitum fieri; ne unum quidem quietis momentum dari, semper lethali mœrore, horribilique confici desperatione. Denique cogitate, quemadmodum omnia flumina in mare confluunt, atque ita dulces suos amaris illius fluctibus conjungunt; quin pelagus turgeat, ita omnia hujus mundi mala, in abyssum illam, ut ita dicam, exonerari, atque cum illis, quæ ibi perferuntur, commixta, comparatione facta, suavia, & jucunda videri.

P. Ludovicus a Ponte libro, cui titulus, Morborum, & ærumnarum utilitates.

Quomodo fieri possit, ut adeo terribilis credatur Infernus, & pauci illum evitare contendant.

Post hanc sine fine cruciatuum diuturnitatem, in qua mens nostra confunditur, ignis æque vividus erit, corpus, & anima æque ad patiendum disposita, & suppliciis æque sensibilia; Deus etiam æque irritatus, & irreconciliabilis, ac primo momento, vorago flammarum inextinguibilium, quas Dei omnipotentia ad peccatorem puniendum accendit; Inferne, infinitum æternorum tormentorum chaos, fieri ne potest, te fidei nostræ objectum esse, ac nos in nostra impœnitentia persistere? Hoc credunt illi, qui mollem vitam ducunt, & in peccatis volutantur. Mundana illa mulier, cui mundus idolum est, terribilia inferni credit supplicia. Nefarii illi homines, quorum vita series est peccatorum, qui sanctissima pietatis exercitia in ludibrium vertunt, qui infernum ipsum in jocum traducunt, hi tamen Infernum esse credunt. Homines illi voluptatibus dediti, qui dies suos in molli traducunt otio, ac oblivione Dei, qui extimam dumtaxat Religionis habent superficiem: homines mundi hujus sectatores, qui tranquille animam suam sordidę postponunt utilitati, eamque sexcentis aliis cupiditatibus sacrificant: illi, quorum mens ex cordis corruptione vitiata est, & quorum mores sunt adeo Christiano nomine indigni; hi omnes suppliciorum horum magnitudinem, atque æternitatem credunt; credunt esse infernum, & nihilominus in delitiis vitam traducunt. Hæc sane monstruosa est contradictio. *P. Croiset in Christianis Considerationibus.*

De terribili miseræ æternitatis duratione.

Proh Deus, quænam infelicitas! singulis momentis ea omnia, quę concipi queunt, pati tormenta, eaque tormenta, quæ anima ferendo esse potest, eaque simul omnia, semperque pati, quin ulla adsit vel minima spes futurum ut aliquando deficiant, quin ullum adsit solatium, quin aliquis unquam illis assuescere valeat! O Dei mei justitia, quam terribilis es! Si post tot centena sæculorum millia, quot effluxerunt momenta ex quo supra capita nostra sol circumagitur damnatorum pœnæ finem essent habituræ, non ideo tamen excusabilis esset peccator, qui pro fluxa fragilique voluptate sese adeo mirę tormentorum objiceret diuturnitati; verum minus intolerabilis ejus videretur insania. Quid! pro una tantum morosę, noxiaque cogitatione decies centena ignis sæculorum millia! pro aliquot momentorum delectatione centum millę annorum myriades! O Deus, quænam inæqualitas! Verum pœnæ hujusmodi infinitæ non essent; quamvis terribilis eorum esset duratio, tandem aliquando tamen finis accederet: miser damnatus dicere posset, quantum passus sum, tantum de meo supplicio imminutum est; nunc mihi uno, duobus, decem annis minus quam antea perferendum est; sed per totam torqueri debere æternitatem! Æternitatem! quin aliquando dici queat, jam horæ unius quadrans meis detractum doloribus est, jam una tormentorum meorum effluxit hora! Immersus, sepultus, obrutus in ignis voragine, ejus vero ignis, qui simul est omnia supplicia; melius in hoc igne rupis instar immobilis, hoc igne penetratus tamquam accensa pruna, damnatus ardet, fremit, desperationi se tradit, semper patitur, semperque cogitat se fine ulla solatii, vel finis spe tanta mala pati. *Idem.*

Æterna damnati pœnitentia.

Huic tormentorum æternitati, adde pœnitentiæ æternitatem; ex necessitate quadam infelicem esse, miserum quidem est, at culpa sua esse infelicem, atque ex voluntate sua, hæc quidem insania est, cujus nullum nisi in damnatione nostra invenitur exemplum; anima hinc summo dolore conficitur, omnemque amaritudinem percipit; ratio ipsa mœrorem acuit, & animam tamquam in pœnitentiæ inutilis prædam relinquit. Damnatur peccator, torquetur, atque eum proprius ejusdem spiritus torquet: immutabiliter adhærens objecto, quod illum a suo fine detorsit, apertissime videt inane eorum bonorum, quę ipsum deceperunt, nitorem fortunæ inutilis, qui ipsum in errorem induxit, virus earum voluptatum, quæ illum fefellerunt. Summo cum dolore agnoscit imprudentiam suam, libidinis suæ errores, vororumque suorum vanitatem, atque nequitiam. Denique conatur ille oculos a funestissimis hisce objectis avertere! Objectum immobile est, ac illi spiritus ita inhæret, ut ab eo divelli minime possit. *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Quis dicendo exprimere posset acerrimos, æternosque infelicis damnati mœrores? Potui, ait ille indefinenter, potui non damnari; & nolui eam aggredi vivendi rationem, quam sectus damnatus non essem. Potui operari salutem meam, ac sæpe etiam id cogitavi, consilium ad hoc susceperam, & minime illum explevi. Tot, qui salvi sunt, numquid magis referebat, quam mea, in interitum non ruere? plurane illis suppetebant adminicula, ut Infernum evitarent? Pauciores illis obices adversabantur? Cœlum non majori mihi, quam illis pretio erat comparandum; illi tamen suam operati salutem fuerunt, ego vero meam operatus non sum. Heu! si hæc omnia cogitassem, quam cogitanti afferre poterant utilitatem! Sed me miserum! hæc tunc quidem cogitavi, præsensi, me æterno discruciatum iri dolore, eo quod hæc malę cogitassem, ac nullam inde utilitatem percepissem; at nunc hoc mœrore conficior, & mœror hic erit æternus ..... Urgentes gratiæ sollicitationes, pii motus, amari quidem, sed salutares aculei! cur tot rationibus, quæ summam ad persuadendum obtinebant vim, non cessi? Cur pertinaci constantia meæ ipsi conscientiæ, rationique meæ sum adversatus? Numquid in æternum memoria mihi repetenda sunt sanguis, & mors Redemptoris, Sacramentorum efficacia, auxiliorum multitudo, tot adminiculorum facilitas; ac ideo repetenda, ut jugiter obversetur menti meæ eorum abusus, utilitas, quam inde uberrimam haurire poteram, infinita, ac irreparabilis jactura, quam subii, eo quod libere, ac ex mera voluntate mea ex omnibus hisce bonis nullum fructum capere voluí? O Deus, quam crudele tormentum est, æterna hæc pœnitentia! Hoc proprie est mentis simul, & cordis supplicium; damnato enim simul ostendit amaritudinem omnem, quam affert memoria bonorum omnium, quibus culpa excidit sua, malorum, quę per nequitiam suam sibi conflavit, eorum denique omnium, quę per suam in peccato pertinacem obstinationem. *Idem.*

Damnatus in inferno præteritarum voluptatum recordatione torquetur.

Quanto dolore afficit animam tristis recordatio brevissimæ, ac ferme incomprehensibilis durationis inanium, molestarumque voluptatum, quę illam in calamitatum omnium abyssum dedere præcipitem? Heu! quid est octoginta annorum vita, si cum terribili æternitate conferatur? Minus est quam indivisibile punctum, toti terrarum orbi collatum; nihilum est, quod mentem fallit; & punctum hoc, quod vix percipi potest, hoc nihilum, extitit fatalis omnium cruciatuum meorum causa. Hinc illa pœnitentiæ æternitas, quæ non aliud est, quam mœror æternus cum furioso conjunctus odio contra propriam libertatem, quę in adeo pravum usum conversa fuit; cum ira ardenti adversus affectuum suorum indignitatem, quorum veluti victimę damnati extiterunt, cum acri, vehementique dolore propter horribilia supplicia, quæ perferuntur, & quibus merito sunt in æternum torquendi. *Idem.*

Inutilitas pœnitentię damnatorum.

Hujus autem pœnitentię amaritudo augetur æterna ejusdem inutilitate. Saltem dolor ita acer, & vehemens non omnino inutilis esset! sed nihil eodem inutilius. Et profecto nisi pœnitentia quidquam sceleris æternitatem imminuit, saltem in hac vita minuit pœnitentis indignitatem, eumque aliqua dignum efficit misericordia. Damnatum in inferno perennis torquet pœnitentia, quin merito illi adscribatur. Pœnitentiam hanc dolor, atque tormenta cient, ac rabies nutrit, quin unquam esse queat salutaris. Si reprobus posset aliquando pœnitentiæ suæ causam oblivisci, hoc illi saltem deesset supplicium; sed in inferno sunt omnia præsentia, omnia æterna sunt, ac in æternum immutabilia. Inde hęc inseparabilis desperatio sterilis pœnitentię. Nobismet exprobrare quod imprudentissime contra Religionem, rectumque sensum egerimus; acerrimis pœnitentiæ doloribus affici; pœnitentiæ vero omni fructu, ac spe in æternum carituræ; quæ desperatio, quæ rabies! *Idem.*

Damnatorum desperatio.

Desperatio violentus quidem affectus est, quandoquidem dolore, ac tumultu, quem gignit, cæteros quoscumque suffocat animæ affectus. Desperatio hæc, quæ damnatorum omnium pars est, illis solatii cujusdam loco esset, si suum haberet effectum; sed in inferno desperatio reliquorum cruciatuum est anima, eaque efficit, ut acrius omnia simul æternitatis tormenta singulis momentis sentiantur. Omnia pati sine ulla spe futurum, ut cruciatus unquam imminuantur: concipe, si vales, hujus desperationis amaritudinem; desperationis autem æternę, & quę singulis momentis æque violenta est, ac si non ita pridem orta fuisset: Omnia perdidi, damnatus ait, ipsam etiam spem videndi hos meos cruciatus imminui, ipsum etiam jus, quod mihi erat ad æternas Redemptoris misericordias, ipsam etiam libertatem non cogitandi amplius causam meæ desperationis, & lacrymarum. *Idem.*

Inferni cogitatio plurimum valere potest in peccatoribus.

Infernus est, & peccatores non desunt: infernus est, Christiani hoc norunt, & infernus hic Christianis repletus est. Verumne est, o Deus! non deesse calamitosissimos homines, de quibus jam actum est, & qui hoc ipso, quo loquor, momento, igne inferni circumdati sunt, ac penetrati? Verumne est, aliquos etiam nostrum aliquando flammis illis esse obruendos? Heu! jam plerique nostrum, (o Fideles) jam ignibus illis combureremur, si Deus nostra tantummodo merita spectasset. Sed infinitę misericordiæ illius habendæ, agendæque sunt gratiæ, quod damnationis nostræ sententia ad aliquod tempus suspensa est, ac nobis illam adhuc licet evitare. Tanto hoc munere ne abutamur; æternas illas fornaces adeamus, & serio cogitemus quid illa sit suppliciorum ibi perferendorum æternitas. *P. de la Colombiere Tomo 3. Sermone 55.*

Damnati quomodo suos cruciatus confideant.

Ita est, Fideles, infelices illi norunt postquam annos centum ignibus fuere combusti, & centum alios comburendos esse, cumque alterum hoc elapsum fuerit sæculum, tertium esse incipiendum, & mox quartum, & post decem millia, centum millia, decies centena millia annorum centies, millieisque iterum, iterumque incœptorum, ignem æque vehementem. Deum æque irritatum, atque irreconciliabilem, corpus, animamque ad patiendum æque disposita, ac re adhuc integra futura. Cogitate tempus, quantum vobis placuerit longissimum, cogitate simul omnes numeros, quos mens vestra valet excogitare, illos toties, quoties libuerit, multiplicate, addite iterum numeros; alia aliis superaddite numerorum refertissima volumina, quot totum illud replere possent spatium quod Cœlum inter, ac terras interjacet; damnatus jam videt se toto hoc tempore torquendum, atque ultra immensam hanc durationem longius prospiciens detegit pœnarum æternitatem æque diuturnam, ac si nullum temporis intervallum præcessisset. Hæc omnia terrorem incutiunt; verum addite, si post immensum hoc temporum spatium in flammis elapsum Dei jussu ad inferos descenderet Angelus, qui testaretur, illis perferendum adhuc esse tot sæculorum decies centena myriadum millia, quot momenta hactenus essent passi; omnes eorum cessarent blasphemiæ, minimum quodlibet murmur in hac horroris, & confusionis domo subticesceret; omniaque undique benedictionibus, laudibus, gratiarumque actionibus personarent; & infernus jam infernus non esset. Sed infelices jam certo sciunt, numquam sibi de liberatione verbum audiendum esse; nullam ipsis pacem, inducias nullas futuras; ac se non gratiam, non reconciliati onem inventuros. Nullus erit terminus, nullus finis, immo nulla finis spes: atque pati debebunt donec Deus erit Deus. *Idem.*

Æquum est reprobos a Deo æternis puniri suppliciis.

Ac enim, dicet aliquis, pro unico crimine, & pro unius momenti delicto pœnarum æternitas? Ullane justitia in judicio adeo severo inveniturí? Quisnam ambigere potest, quandoquidem Deus qui ipsa justitia est, judicii hujus est auctor? Nulla est inter fluxam voluptatem, æternumque supplicium proportio: at ullane proportio est inter vos, & infinitam Dei Majestatem, quam offendistis? Numquid ex tempore, quod in injuria inferenda insumptum est, metiendum est debitum illi supplicium, an ex illius, qui injuria affectus fuit magnitudine? Quid æquius quam æternis adjudicare cruciatibus illum, qui contra Æternum ausus est rebellare? Ad hæc aliquidne æquius est, quam nullam illi concedere veniam, quem numquam pœnitebit, illi, qui eam sibi oblatam respuit, illi demum, qui se immortalem optasset, ut numquam a peccando cesseret? Ulla si adest inæqualitas inter unicum voluptatis momentum, ac pœnarum æternitatem; vobis optio est, utrum huic voluptati indulgeatis, an secus. Insanus profecto es, si adeo charo pretio illam comparare velis: Sed justissimus est Deus exigens eam, de qua inter te, ac ipsum quodammodo convenerat, mercedem, neque enim rationem a te expediturum illum ignorabas. Demens es, si Deum lædere audes, quamvis ille tibi tantum minitetur supplicium; sed justissimus est Deus te hoc ipso puniens supplicio, cujus metus nequitiam tuam vincere non potuit. *Idem.*

Quid sit pœnarum æternitas.

Qui dicit æternitatem, dicit perennem sine fine durationem, ultra omnium temporum fines, dicit dolorum jugem assiduitatem spe, & solatio carentem. Cœlum quidem, ac terra transibunt; damnatus vero semper horribile studium suum inchoabit; indefinenter novum ingredietur orbem pœnarum, quæ numquam cessabunt. Numquam! O quam terribilis est vox ista, o fideles? quam formidabilis omnibus, qui rite illam perpenderint? Coloris mutatio, quæ in singulorum facie videtur, satis ostendit quantum terrorem cogitatio æternitatis incutiat ..... Gloriæ æternitas a Sancto Paulo pondus vocatur. *Æternum gloriæ pondus operatur*; atque ita nos ad illius acquisitionem contendit impellere. Sed quia gloria nos parum movet, ut a peccato detorqueat: addit Deus alterum pondus, cruciatuum nempe in inferno æternitatem: ut qui spe non moventur, pœnarum timore quatiantur. O Deus! quid facerent illi, si non esset infernus, & si omnes pœnæ cum tempore ipso deficerent? Quænam esset rerum omnium in terris perturbatio? *Sermo manuscriptus.* 2. ad Cor. 4.

Adspectus damnati nobis magnitudinem iræ Dei palam ostenderet.

Quisnam vivens justam iræ divinæ concipit ideam? Egredere ex abysso aliquis ex vobis, qui infernis ignibus devoramini, atque huc accede ut nos de tua sorte erudias. Ostende nobis vulnera, quæ ignita ultoris Dei tela tibi inflixere; detege turpissimam faciem tuam fumigantem, ac flammis succensam; stilla in nos unicam ignium tuorum scintillam; saltem inspice nos illis oculis, qui numquam claudunt; cum cruentis illis oculis, unde flammę inutilibus commixtæ lacrymis egrediuntur; fac, hoc in loco audiantur clamores illi, quos illi extorquet desperatio: aperi os tuum igne, & amaritudine plenum, & profer aliquot verba lugubri eo vocis tono, quo blasphemias evomis. Rationis ipsius jacturam faceremus (auditores), præ terrore concideremus damnatum intuitu. Eum potius, qui salvos facit, & damnat, enixis otemus precibus, ut misereatur nostri, atque luminibus suis nos in terribiles iræ suæ thesauros adducat, ut perciti horrore tormentorum, quę ibi continentur, per pœnitentiam nostram illius flectamus justitiam, quę improbos omnes iis pœnis est addictura. *P. la Pesse, Sermone de pœnis inferni.*

Inferus est locus, ubi tormentorum omnium congeries invenitur. Deut. 32.

In Lege veteri Deus hoc minitatus est populo suo: *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis*; quod tamen nonnisi in Inferno adunguem adimpletur. Ibi omnia iræ suæ tela exhaurit, ibi omnes congregat pœnas: quorsum autem? quia infernus proprius est locus tormentorum: quo nomine dives nequam eum vocat apud Sanctum Lucam: *locum tormentorum*. In terra Deus & Misericordiam, & Judicium semel exercet: *Misericordia, & judicium*: In cœlo misericordia præ cæteris illius perfectionibus elucet: *Ostendam ei omne bonum*: sed in inferno illius dominatur justitia. *Congregabo super eos mala. Idem.* Luc. 16. Psal. 32. Exod. 33.

Descriptio terribilium inferni cruciatus.

Deus ipse dæmonibus præcipit, ut torqueant damnatos: Deus ignem succendit, qui utrosque simul comburit; Deus omnia acuit spicula, quę illos confodiunt, & laniant. Neque hic subsistit irati numinis omnipotentia; æque enim damnatos doloribus percipiendis pares, ac dæmones illis torquendis industrios facit, atque crudeles. Quantum virium tribuit igni, aliisque ultionis suę instrumentis, tantum hostibus suis sensus tribuit, ut omnem eorum dolorem experiantur. Quid! ignis ad explendum Dei Omnipotentis furorem accensus! corpus, & anima damnati hoc igne penetrata, ut eidem furori satisfaciam! aliorum suppliciorum infinitus numerus, infinitus quoque carnificum, quos Deus ipse erudit, ejusque manus sustentat! Quis fando assequi posset reproborum confusionem, pœnas, & rabiem? *Idem.*

In inferno ea sentiuntur mala quæ in hac vita simul esse non possunt.

Pleraque vitæ hujus mala simul esse non possunt; diversitas subjectorum, & effectuum oppositio illa necessario patiuntur. Malum, quod calor gignit, non invenitur cum illo, quod frigus parit. Malum quod oculum, & caput afficit manum simul & pectus non torquet. Malum hodiernum non est crastinum; neque accidere potest, ut quolibet momento, & in qualibet vestri parte, eos experiamini dolores, quos tempus, partes, quibus constatis, eorum propriæ qualitates, infirmitas vestra sese naturaliter invicem explodunt: irritati Numinis potentia hoc sibi in inferno patrandum miraculum reservavit. Neque ideo affirmaverim dolores omnes, qui essentialiter sunt insociabiles, simul eodem tempore, eodemque in subjecto congregari; sed quandoquidem Scriptura, & Patres de inferni pœnis loquuntur, tamquam de suppliciis ineffabilibus, atque incomprehensibilibus, fatendum est, Deum ibi consuetas naturæ leges abrogare, ut suæ satisfaciat ultioni, ac verisimile est abrogare illas simul ea congerendo mala, quorum congeriem animo comprehendere nequaquam possumus. *Idem.*

Cæ-

Reprobis in inferno nihil aliud sentiunt, quam pati.

Cæterum reprobis in omnem æternitatem nihil faciendum erit aliud, nihilque aliud facient, quam pati. In hac vita objectorum diversitas, affectuum, ipsarumque pœnarum varietas pœnis ipsis aliquod afferunt solatium: labor unus alterius laboris oblivionem inducit, & mœror unus alterius mœrorem imminuit. In inferno nihil illos ab ipsorum cruciatu distrahit, infinitum pœnarum numerum, infinitis modis patiuntur; ad id ibi detinentur, neque possunt, vel unico momento suum fatum eludere. Quæ suspiria! quos gemitus calamitosi illi emittent! *Idem*.

Damnatorum dolor quod culpa sua sese infelices effecerint.

Qui culpa sua infelix est, ne conatur quidem factum suum excusare; immo illud sibi acerrime exprobrat; in seipsum iratus magis sua imprudentia, quam calamitate torquetur; & si calamitas reparari non possit, longe magis intolerabilis est, quia ipse illius auctor est. Damnatus omni malorum genere obrutus, circumseptus, penetratus, ardet inter flammas, quarum vix umbra dicendus est ignis naturalis, dæmonum socius, atque crudelitatis eorum præda, cælestium deliciarum idea repletus summo cum mœrore parum illud cogitabit, quod ex eo petebat Deus, ut salvus fieret, & parum illud, quod cum æternæ damnationis periculo Deo negavit; malum incomprehensibile, quod evitare in ipsius positum fuerat potestate; bonum ineffabile, quod ipse justa, æqua, facillique actione poterat adipisci: hæc cogitatio illum crudeliter dilaniabit. *Idem*.

Damnati dolor, quod unus culpa sua interpereat, & exprobratio nes atque infidelium Sanctorum eundem increpantium. *Isaiæ 14.*

Conjicite quam grave malum futura sit desperatio, in quam reprobum hæc injiciet cogitatio, se videlicet interisse, licet tot sibi salutis viæ procurandæ subsidia suppeterent: Ille cogitatio miserum illum tanto dolore conficiet, quantum animo concipere nefas est; atque ea ratio, qua se gessit, illum gravissimis, acerrimisque probris objiciet. Quid? inquient idololatræ, & Barbari Christiano huic, qui tot licet salutis operandæ subsidiis affluaret, tamen damnatus est; Quid? *Et tu vulneratus es, sicut & nos?* Tua lumina, tuæ gratiæ, tua Sacramenta, Concionatores, ac Sacerdotes tui prohibere non potuerant, ne cum nobis in hanc ignis abyssum prorueres? Proh scelus! nos cœlesti gloria perfrueremur, si æque actu cognovissemus hujus mundi nihilum, ea, quæ vitam erant consecutura, & judicis nostri severitatem; geme, insipiens, plora, detestare diem nativitatis tuæ; indignus es miserricodia. Beati quoque illius insultabunt infelicitati: *Lætabitur justus cum viderit vindictam*. Huccine ergo contendebas, o homo voluptatibus, omnibusque libidinum generibus abdite! Hæ sunt illæ deliciæ, quæ sceleribus tuis, impietatibus, sanctarumque rerum contemptu tibi præparasti: Profecto melius, quam nos, mundi vias intellexisti; pacato animo creditorum tuorum querelas audiebas, neque te movebat mortalium omnium de tuis iniquitatibus sermo. Flamma, quæ te voret, felix est effectus minarum, quibus infirmum opprimebas, & innocentem persequebaris. Tu doctus eras, & sapiens; nos rudes, & insipientes nos, qui indefinenter in postremæ diei expectatione trepidabimus. Fruatur modo unusquisque fructu operum suorum, tu in inferno, nos autem in Cœlo. *Idem*.

Psal. 57.

Reprobus numquam oblivisciturscelerum, propter quæ damnatus fuit

Miser, qui seipsum perdidit, non contentus esse vaga, & confuga recordatione actionum, quæ ipsius pepererunt interitum. Eas in mentem revocat crudeli cura, easque ex omni parte inspicit, quæ earumdem horrorem valeat augere. Doloris vehementia illius lenire posset desperationem, si posset tormentorum suorum causas oblivisci: ipsa supplicii magnitudo stuporem quemdam inducit, dummodo non advertatur animus ad ea, quæ dolorem ad desperationem impellunt; sed extrema semper pati mala, & ea semper animo reputare, propter quæ hæc mala patimur; hic quidem, mea sententia, cumulus est infelicitatis. *Idem*.

Vermis conscientiæ damnatos in inferno discerpens.

Quemadmodum ignis, qui damnatos urit, eumdem semper ardorem habebit, ita furiæ, quæ illorum conscientiam laniant eosdem semper habebunt aculeos. Terribiles tortores! Si detegere nobis liceret horrorem animæ lethalis peccati sordibus inquinatæ, illius turpitudo tantum terrorem incuteret, ajebat magnus quidam elapsi retro sæculi vir, ut perterriti occumberemus. Aliquando nobis exhibetur damnatus, tamquam horribilibus monstris circumdatus; videre videmur angues viperasque circum illius corpus complicatas, ejusque sinum vulnerantes; cum nobis fingimus medium inter horrentia spectra, furori suo mancipatum. Objectum hoc utique nostram imaginationem percellit: sed quodnam spectaculum simile esse potest animæ sceleribus suis onustæ, involutæ, obrutæ, sceleribus, quæ acerrimos infigent morsus, conscientiæ stimulis, qui tot veluti crudeles viperæ, aut exacerbati vultures cor illius indefinenter depascent? Hæ peccata, Sanctus Bernardus ait, jugiter desperatæ huic animæ clamabunt? *Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus*. Sese complicantia, ut ita dicam, alia super aliis in infelicissima hac anima eam pungent, rodent, at omnia simul laniabunt clamantia: *Tu nos egisti, opera tua sumus*. *Idem*.

De pœnæ damni, & privatione Dei.

Nostis, quo majora sunt jura, quibus suffulti hæreditatis alicujus possessionem appetimus, quo æquiores sunt tituli, quibus postulationes nostræ innituntur; eo acerbius esse ab eadem deturbari. Jura, quæ fideles per Baptismum regenerati habent ad gloriam Paradisi & possessionem Dei fere numero carent; rationes omnes, quas cum Deo habemus in ordine naturæ, & gratiæ, totidem sunt certissimi, ac insignes juris nostri tituli. Hoc in loco non enumerandas aggrediar rationes varias, propter quas Deo adhærere debemus; illę enim tot sunt, quot vitę nostrę momenta; sed quin de naturę ordine verba faciamus, quot insigniores, arctioresque nobis nexus adsunt in ordine gratię? Gratiæ omnes, quas Deus in nobis per Sacramenta infundit, omnes infusę virtutes fidei, spei, charitatis, quas nobis ille inserit, nonne totidem sunt fœdera, quę cum ipso contrahimus, & propter quę illi semper adhærere deberemus; ab eo numquam sejungendi? Cogitate igitur quam crudelis, & amara futura sit hęc separatio, cum funesta damnationis sententia abscideret Deus nexus omnes, quos olim cum reprobis habuerit. Hoc fane neque mente concipi, neque verbis potest significari. *La Font, Sermone pro prima post Epiphaniam Dominica*.

Oratio ad Deum, ne ab eo unquam separaremur.

Satis, superque intelligimus, Domine, quam gravemalum sit a te separari, ita ut non omnes industrię nervos intendere pro virili parte velimus ad illud evitandum, eosque superandos affectus, qui nos in tantum dejicere possent interitum. Hoc unum enixius te flagitamus, ut hos sensus, quos injecisti nobis, in nobis confirmes; *Ne projicias me a facie tua*. In hac vita quibuscumque, tibi placuerit, malis, calamitatibus, ęrumnis in nos animadverte; at ne sinas, ubi per pœnitentiam tecum in gratiam redierimus, ab eadem unquam secedere: *Me nusquam a te separari permittas*, neque in hac, neque in altera vita. *Idem*.

Psal. 50.

In Canone Missæ.

Deus in ignem inferni omnia congregat tormenta.

Deus, ut de inimicis suis pœnas sumat, dolores omnes, & omnia, quę fingi possuntitormenta, congregat in inferno. Non secus ac in Cœlo efficit, ut Sancti omnia inveniant bona, delicias, & oblectationes, quę votis suis concupiscere possunt; ita efficit, ut peccatores in igne mala, & cruciatus omnes, qui ferri possunt, experiantur: *In uno igne*, Sanctus Hieronymus inquit, *omnia tormenta sentiunt*. Deus per suę potentię miraculum facit, ut ignis omnibus simul eos doloribus torqueat, ut ignis, quo uruntur, glacie illos constringat, ut ignis, qui eos circumundique adlambit, singulos artus generali afficiat supplicio, & acerrimas gignat convulsiones; ut ignis, qui illos urendo conservat, tormenta sua perennaturus, simul acutissimorum morborum, sęvissimorumque cruciatuum dolores in illis cieat: *Congregabo super eos mala & sagittas meas complebo in eis*. Colligam quorumcumque tormentorum dolores omnes, omniaque mala, quę simul esse non posse videntur, congregabo simul, ut illa in ultionis meę victimas contorqueam. *Idem*.

Deuter. 32.

Quam utilis in hac vita damnatis fuisset inferni cogitatio.

O infelices victimę divinę ultionis! si vobis in hanc lucem reverti liceret, quam non ageretis pœnitentiam, hanc pœnarum omnium ęternitatem evitaturi? O infelix ęternitas, quam utilis fuisset recordatio tui ad te vitandam! miseri illi nequaquam feveritatem tuam experirentur! Et homines si nunc illum haberent, qui decet, metum, numquam in adeo funestam calamitatem post mortem deciderent: si in vita hoc sępe sibi meditandum proponerent, satis esset vehementissimis etiam tentationibus hanc objicere cogitationem, ut inde preclaram victoriam reportarent. Cum animi alacritate omnia perferrent mala, quantumvis acerba, fibi divinitus immissa, eaque reciperent in satisfactionem pœnarum, quę ipsis suendę sunt Divinam Justitiam reparaturis. *Idem*.

Inferni pœnæ solatio carent.

Nulla sunt in hac vita mala, quę plurimis non sint

sint permixta bonis, solatium aliquod afferentibus. At non ita in inferno: quacumque se vertat damnatus, nihil nisi doloris causas nancisciturr: omni prorsus voluptate, omnique caret solatio. Nihil illius lenit mala, immo quidquid auget illa. Gravissimum malum est cujuscumque boni privatio animæ, quæ sola boni perfruitione, vel spe vivit, & confirmatur: neque satis unquam cogitatur doloris magnitudo, quę necessario orietur ex perspicua cognitione, qua infelices animę certo scient, nullum sibi in omnem æternitatem sperandum esse bonum, ac se nihil unquam visuras, quod non summum sibi cruciatum infligat. Præterquamquod hominis in hac vita spiritus non vacat assidue objectis illis, quibus afflictatur; sępe ab illis deflecti animum; & licet illis semper inhærere vellet, tamen vitę necessitates, & corporis infirmitas eum prohiberent: Sed omnes damnatorum dolores, ita erunt assidui, ut eorum anima semper inhærere, & quodammodo agglutinata esse debeat suorum tormentorum objecto, quin ne uno quidem momento ab eodem possit averti. *Essais de Morale, Tomo 4. Tractatu de Inferno*.

De damnatorum desperatione.

In hac vita ipsa etiam desperatio, & rabies nescio, quam habent voluptatem in confuso mentis conceptu hominum oculos fallendi; vel etiam ex ipsa vita migrandi; sed reprobi, quantumvis infelicissimi, hoc etiam solatio carebunt: videbunt, se omnino impares esse nocendo illis, quos oderunt: intelligent, se mereri omnia mala, quæ patiuntur, & quę sibi ipsi conflarunt: neque minori odio persequentur justitiam, qua damnabuntur: non sperabunt futurum ut vivere, & esse cessent: Agnoscent Judicem quidem suum inexorabilem esse, cor vero suum inflexibile; ideoque agnoscent etiam malorum suorum immutabilitatem, quin ista cogitatio illos constantiores efficiat, nihil enim videbunt, in quo mens sua quiescere valeat. *Ibidem*.

Damnati in æternum odio persequetur Deii, quin ex illius altrici manu elabi valeant.

Quisnam intelligere potest quid sit inimicum infinito odisse odio, interitum eius optare, ac nihilominus seipsum in manibus ejus, illius potestati subjectum, ad pedes ipsius in æternum prostratum conspicere, quin ullo modo eidem resistere liceat? In hoc statu reprobi in æternum erunt ratione Dei. In æternum ejus potentiam, atque justitiam execrabuntur, optabunt illum non esse; at nihilominus se in æternum in manibus ejus intuebuntur, quin ullum evitare possint supplicium, quod justitia illius ipsis infliget. *Ibidem*.

Omnia damnatorum vota interibunt.

Omnium interiorum voluptatum, dolorumque omnium fons est in voluntate, prout illius vota adimplentur, vel in irritum cedunt. Quis ergo intelligere valet infelicitatem status illius, ubi nullum animæ votum explebitur, sed omnia interibunt? Voluntas tunc maxime mobilis erit, at nullum habebit motum, quo non torqueatur: nihil eorum, quę optabit, assequetur; ea omnia patietur, quæ perhorrescet; Hæc est Sancti Bernardi argumentatio ad infelicitatis hujus magnitudinem ostendendam: *Quid tam pœnale, quam semper velle, quod numquam erit? . . . . In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit, Ibidem*.

Lib. 5. de Consideratione.

Cognitio quam damnati habebunt de Deo, eorum odium augebit.

Quo magis damnati cognoscent supremum illud Ens amore dignum; eo sentient odium fuum magis inflammari. Et ratio constat: eadem enim lumina, quę illis detegent infinitas perfectiones ipsius, efficient etiam, ut intelligant infinitam jacturam, quam illud amittentes subierunt. Dominus non poterit illis ostendere, quam amabilis sit in semetipsis, quin illis ostendat, quam severus sit illos tanta boni perfruitione privans. Ita Dei cognitio, quæ in cordibus eorum accendet desiderium illius possidendi, simul excitabit quoque odium hisce par desideriis; cum fieri minime possit, ut aliquis adeo perfectam agnoscat pulchritudinem, adeo ardenter illam concupiscat, ut eum simul amet, a quo sibi ejus possessio negatur. O infortunium! O calamitas! O divina pulchritudo! Quinam ergo est status iste ita infelix, qui nos redigere potest ad necessitatem te abominandi? *P. Colombiere. Tomo 3. Sermone 55.*

Inferni cogitatio sequissimis quemlibet convertere debet.

Nisi inferni cogitatio nos convertit, nisi intuitus horum cruciatuum, hujus æternitatis, hujusque æternæ pœnitentię nos movet, atque a peccato, inanisque vitę hujus cupiditatibus avellit, infani sumus; ac de nobis jam actum est. Hę veritates effecerunt Martyres, deserta eremitis repleverunt, & hodie quoque Cœnobia sanctis hominibus replent; attamen tu non ideo velles solatii tui, vel minimam temporis jacturam subiisse, neque æris alieni, vel unum argenteum persolvere: hiccine stuporesset, an mentis constantia? Mea quidem sententia hæc insania est; nisi dicendum sit fidem prorsus deesse. *Idem*.

De pœnarum infernali æternitate.

Inde vero in damnatis tanta fit doloris accessio, quanta exprimi nequaquam licet, quod singulis eorum malis æternitatis pondus accedit. Hac cogitatione prævertunt, atque in præsenti tempore simul connectunt, quidquid passuri sunt in æterna horum cruciatuum duratione; quę res quodammodo singula hæc mala efficit infinita. *Essais de Morale. Tomo 4. Tractatu de Inferno*.

Hujus vitæ cum æternitate comparatio.

Quisnam erit animæ damnatæ dolor, cum in hac æternitatis abysso, postquam centena sæculorum millia passa fuerit, oculos conjiciet in exiguum hoc temporis spatium, quod non ita facile deprehendet in infinito sæculorum numero, quę jam ab ejus interitu fuerunt elapsa? Vita, quantumvis cominus confideretur, momentum esse videtur: nobis etiam adhuc illa fruentibus, quidquid præteriit momentum videtur: cum vero in ipso mortis exitu adflamus, quantumvis diuturna illa fuerit, vix nobis persuadere possumus inter nativitatis nostræ diem ac tempus illud, ad quod pervenimus, ullum intercessisse spatium: quærimus vitam hanc, quæ tamquam somnium effluxit, & cujus vix quædam vestigia adhuc in memoria nostra supersunt. Quid autem erit, cum post obitum nostrum jam annorum myriades effluxerint? cum jam nostrum genus interierit, cum tempus solo æquaverit domos a nobis extructas, urbes everterit, ubi in lucis usuram editi fuimus, regna subverterit, ubi viximus; cum finis sæculorum totum terrarum orbem propriis cineribus obruerit; cum Cœlorum, inferorumque portę jam clausę erunt numquam deinceps aperiendæ; cumque post illud tempus elapsæ fuerint centies centenæ sæculorum myriades, quid futurum putatis? Quid vobis hæc vita videbit? Confebitisne tunc, vitam hanc mereri, ut hac perfruiturl, atque voluptatibus, honoribusque illam concomitantibus gaviluri æternitatis jacturam faciatis? *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus*.

Damnatorum dolor eo quod non usus fuerit tempore ad æternitatem promerendam.

O Deus! Omni æternitate damnatus inquiet, si fructum capere voluissem ex eo tempore, quod mihi concessum erat, si fecissem, quæ facere poteram, & quæ modo facere nequeo! Eo momento, quod unicum fuit, cujus pœnes me esset arbitrium, & quod non ultra reversurum est: Eo momento, quod in ludis, voluptatibus, somnoque traduxi; eo momento, quo fortes meæ in meis manibus versabantur, fui dominus, & arbiter felicitatis meæ; in potestate mea erant claves Regni Cœlorum: triginta, vel quadraginta annorum spatio mihi relicta fuit optio eligendi in beata æternitate ornatissimum, elatissimumque locum, & ad hoc ne mentis quidem obtutus convertere dignatus sum! O Deus, eramne Christianus, rationalis eram, homo eram? Quis mihi mentem averterat? quis me ita fascinaverat? Eheu momentum, pretiosissimum momentum, non ultra ergo redibis? Ergone in æternum abiisti? *Idem*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Inferni flammas, ignesque nobis obtrudunt; horribiles quidem sunt, terribilesque: at mea quidem sententia parum sunt; si cum pœnitentia, elapsi temporis confideratione, & pravo ejusdem usu comparentur. Meus nostra omnem æternitatem impendet ad vivum nobis obiiciens vanitatem objectorum, quæ nos a Deo dimoverunt, & facilitatem, qua salutem nostram assequi poteramus . . . Cur mortis horam præstolabar, ut ad hæc adverterem animum? ubi erat ingenium meum, ubi ego eram, qui scitus, ac prudens habebar, & qui aliis optima noveram suppeditare consilia? Hoc adeo mihi videtur horribile, ut si cætera inferni supplicia ab hoc sejungi possent, mea quidem sententia, ne momento quidem ancipites hærerent damnati, quominus statim cæterorum malorum congeriem concupiscerent, ut hoc uno liberarentur; at numquam alterum ab altero divelleretur; in æternum patiemini, in æternum conficiemini desiderio temporis, & facilitatis, quæ vobis fuere, & quæ contempsistis, ne salutem vestram operaremini. *Idem*.

Semper ante damnatorum oculos supplicorum suorum æternitas obversabitur.

Quoties dixistis, æternitatis cogitationem perturbare posse mentem illius, qui serio, atque attente illi vacare voluerit? Quid autem, si jugiter noctu, & interdiu hæc animis nostris cogitatio obversaretur, simulque comprehenderetur pars aliarum pœnarum, seu spiritualium, seu sensibilium? Damnati non comprehendunt solum; Verum etiam patiuntur has pœnas, ac in æternum illas ad examen revocare,

re, atque immensæ, & incomprehensibilem Dei æternitatem metiri cogentur. Deus in eorum mente crudelem hanc figet cogitationem, ita ut nullo modo illinc divellere liceat: Numquam, numquam, numquam tormenta hæc finem sunt habitura. Post hæc mirumne est, si furore corripiantur; si vellent posse Deum ipsum destruere, vel illum secum damnare? Abstinere possunt, quominus ululent, dentibus infrendant, in horribiles blasphemias erumpant, ac mutuo sese lanient, atque discerpant? Video, quomodo filii furentes irruant in parentes suos, qui fuere suæ damnationis origo; & quomodo parentes vicissim irruant in filios. Video quomodo seipsos annihilare conentur. *Idem*.

Sensus S. Theresiæ de infelici damnatorum statu. *Medit. 12. de Communione.*

Quomodo, Sancta Theresia inquit, exprimere possem, quantus sit dolor meus, cum mihimet exhibeo animæ statum, quæ cum in terris semper in pretio, & honore habita fuerit, omniumque in se amorem, cultum, atque reverentiam converterit, momento, quo ad plures abitura est, in æternum interibit, & palam intelligat, nullum infelicitatis suæ finem futurum; neque profuturum sibi amplius a fidei veritatibus mentem avertere, quod in hac vita consueverat; videbit se a suis voluptatibus, atque solatiis sejunctam, & quodammodo avulsam, tunc cum sibi videbitur vix illa gustasse; Re enim vera quidquid cum vita pertransit, flatus est, ac vapor: videbit se undique circumseptam sodalibus turpissimis, sævissimisque, cum quibus est in æternum passura, videbit se in graveolentem lacum, serpentibusque repletum immersam, qui omnem rabiem suam exercebunt in illam; at denique se ipsam inveniet in horrentis caliginis abyssio demersam, ubi cum non alium lumen affulgeat præter tenebricosissimum ignem, non aliud videre poterit, nisi quod suos cruciatus, atque tormenta in æternum alere poterit . . . . O vita æternum infelix! O juge, ac sine ulla intermissione supplicium! fierine potest, ut te illi non metuant, qui ita minimum quemlibet dolorem pati valeant! *Ex Operibus Sanctæ Theresiæ*.

Vis, & diuturnitas doloris simul in vita hac non invenitur.

Violentus dolor, qui brevi pertransit, ingens non est, & facile illum non iniquo animo patimur; cum e contra levissimus dolor, si jugis fit, vel nimis diuturnus, non ferendus videatur. Itaque mali diuturnitas illius naturam, & nomen immutat. Sed ubi duplex hæc qualitas simul in eodem supplicio inveniuntur; quod hinc quidem maxime vehemens est, & acerrimum, inde vero diuturnum, hic sane est cruciatuum cumulus. Terribilis ista societas in mundi malis non invenitur, atque tyranni, qui ad innocuos torquendos maxima viguerunt industria, hæc simul consociare non potuerunt. Si tormenta diu sæviebant, erant levia; si violenta erant, non diu permanebant: destruebant corpus, eique mortem inferebant. In solis inferorum cruciatibus duplex hæc qualitas geminatur; atque summa vehementia cum æterna duratione consociatur. *Biroat, Sermone pro feria quinta post secundam Quadragesimæ Dominicam*.

Damnati in æternum optabunt videre Deum, & in æternum Dei adspectu carebunt.

Voluntas damnati, qui noscet, supremum bonum summo digunm amore, qui vehementibus studiis ad illius possessionem rapietur, illud execrabitur, odio persequetur, tamquam suppliciorum suorum auctorem cogitabit; & in misertimo hoc statu sciens, Deum sibi insensissimum, ac magis terribilem esse inimicum, illum oderit, sed odio irreconciliabili, quod & ipsum in ejusdem supplicium convertetur. Nam quantumvis illum oderit, atque aversetur, invitus illum amare cogetur, in illum tota votorum suorum latitudine, totoque studiorum suorum pondere ferri; verum ignes, infernæque flammæ illum statim ardentibus vinctum catenis detinebunt: Eheu! Si damnati unico tantum momento frui possent Deo, eujque flectere justitiam valerent, ut per hanc sibi liceret, aliquando tandem ex illis carceribus egredi, aliquod sane solatium haberent, sed heu! hunc semper quærunt, & cupiunt, at hic illos semper odit; illi jugiter in ipsum feruntur, at semper propulsantur. Tristis damnatorum necessitas, numquam posse cogitationem suam ab ea re avertere, quam numquam poterunt possidere. *Idem. Sermone pro feria sexta post alteram Quadragesimæ Dominicam*.

In inferno nulla est amplius misericordia, neque conversio.

Tunc Deus, & anima agendi rationem immutabunt. Deus, donec peccator vivit, Deus est suavis, mitis, misericors; at post peccatoris mortem Deus est ultor, feverus, inexorabilis, inflexibilis. Peccatoris anima, dum vivit adhuc, ad Deum se convertere potest, verumque scelerum suorum dolorem concipere; sed a peccatoris corpore avulsa, convertì nequit, necessario, & immutabiliter suis peccatis adhærens. O Deus, quam profundæ sunt cogitationes tuæ; tu vero quam *terribilis in consiliis tuis super filios hominum! Ex morali Dictionario. Sermone 2. de Inferno*.

Inferni descriptio.

Quid dico, cum infernum dico? Dico stagnum ignis, & sulphuris; dico terram maledictionis, ubi nonnisi clamores, & rugitus audiuntur; ubi nonnisi monstra, & suppliciorum congeries videntur; denique id dico, quod metuo; dico quod me terret, & turbat; dico, quod neque dicere, neque mente concipere valeo; & quod nihilominus paucissimi fideles recogitant. *Idem*.

Damnati suum agnoscent infelicitatem, quod solution, quam sibi operari poterant, neglexerunt.

Tunc summo cum mœrore Christiani videbunt, quid tempus inter, & æternitatem discriminis intercedat, inter supremum bonum, & bona fallacia, caduca, & peritura: videbunt quomodo jure illis prædicabatur: *Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat*. Videbunt quomodo facile saluti suæ consulere poterant; videbunt Deum ex animo sincerum iniisse consilium regnum æternum ipsis tribuendi, se in eadem Ecclesia, in qua Sancti, vixisse, se eorumdem Sacramentorum fuisse participes, immo validiores etiam gratias, ac vehementiores recepisse motus, quam decies centena prædestinatorum millia; Deum sexcentis in occasionibus eorum salutem in manibus ipsorum constituisse, atque ipsis toto cœlo magis cordi fuisse voluptatem, quam æternam felicitatem ... Palam cognoscet per baptismi sui regenerationem se factum fuisse adoptivum Dei Filium, ideoque æquissima adeptum fuisse jura ad Cœli possessionem: inter densissimas tenebras, quibus circumundique involutus erit, videbit Crucem, & Hostias; vocem audiet clamantem: *Quoties volui, & noluisti?* Quoties vocavi te; tu vero gratias meas reprulisti? *Pater Texier, Sermone ultimo de Adventu*.

Ratio evitandi infernum est illud sæpe recogitare. *Psalm. 54.*

Tutior via, ne post mortem in infernum labamur, est sæpe illuc seriis cogitationibus secundum Davidis consilium, in hac vita descendere: *Descendant in infernum viventes*. Sed ut hæc infelicis æternitatis consideratio ad nostram conversionem efficax esset, opus esset, ut Deus nobis revelaret, quod Sanctis quibusdam concessit, horribiles damnatorum cruciatus, vel ut perfunctoria earum pœnarum experientia nobis illarum magnitudinem palam significaret ad hoc, ut caro nostra secundum Prophetæ verba judiciorum Dei timore configeretur: *Confige timore tuo carnes meas*. Etenim quæcumque, licet teterrimæ, descriptiones inferni a Concionatoribus concinnatæ nos leviter movent, nisi Dei Spiritus infirmis Christianæ eloquentiæ coloribus addat vividas, atque validas imagines dolorum, quibus reprobatorum animæ in inferno torquentur. Seipsos respiciunt tamquam a Deo separatos inter flammas; hæc eorum æterna est occupatio: Deus in æternum amissus; hæc pœna damni est; ignis devorans, qui illos comburit; hæc est pœna sensus. Unum ex his suppliciis terribile tormentum posset inferre; conjice quid erunt simul consociata. *Essais de Sermons pour la Dominicale. Tomo secundo, septima post Pentecosten Dominica*. *Psalm. 118.*

Magnitudo pœnæ sensus, quam damnati in inferno patiuntur.

Quid dicam de pœna sensus? Vestramne excitabo mentem? Vobis exhibebo flammarum pelagus, in quod tot impii præcipites ruunt? obscurissimum carcerem, ubi divinæ justitiæ debitores detinebuntur, quin valeant unquam æs alienum dissolvere, ideoque quin inde unquam emergere valeant? Cloacam in terræ visceribus defossam ad totius orbis sordes eluviesque recipiendas, & in quam ex omnibus terrarum plagis scelerum omnium influent purgamenta? horribilem corporum ardentium, quorum alia aliis erunt agglomerata, congeriem, cum teterrima clamorum, blasphemiarum, maledictorum, rugituumque confusione? Creata omnia contra insipientes illos decertabunt, qui Deo creaturas prætulerunt. *Pugnabit pro eo universus orbis adversus insensatos*. Præsertim vero Deus ad illos torquendos elementorum omnium efficacissimo, ac vehementissimo utetur, divinæ iræ flatu succenso. *Halitus ejus prunas ardere facit*. Hic profecto materialis erit ignis, sed qui supernaturaliter aget in animas, & corpora, atque uret quin illuminet, purificet, absumat. *Ibidem*. *Job 41.*

Desiderio videndi quid in inferno fiat, ut æquatrimor concipiatur. *Job 38.*

Libenter a Deo gratiam expeterem videndi aperta inferorum ostia, ac sciendi quid in tenebricosissimis illis carceribus fiat, quemadmodum loquebatur Dominus cum Job: *Numquid apertæ tibi sunt portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Utinam ter-

ræ sinus nunc ob oculos nostros dehisceret! Utinam per hæc sepulcra, quæ hic tot continent mortuos, detegere possemus victimas illas incensas, quorum miserrimis quidem, sed inanibus clamoribus, & ululatibus teterrimi carceres rebeant; tunc non alio indigentes testimonio, quam oculorum vestrorum eam intelligeretis veritatem, quę nimis infirma vox mea satis vobis probare non poteſt; tunc solus ignis devorantis fumus majorem haberet ad persuadendum vim, quam validissima quælibet eloquentia, & illi, qui verbis meis non moventur, certissime hoc intuitu converterentur. *Ibidem. Tomo 4. pro tertia post Epiphaniam Dominica*.

Viventes in inferno recogitent, ut post mortem in inferno non descendant.

Nunc eadem pro nobis vota nuncupemus, quæ olim pro mortalibus omnibus David: *descendant in infernum viventes*. Utinam sæpe in infernum mente descenderemus; hæc enim ratio esset illuc reipsa minime descendendi. Si illuc post mortem descendimus, jam de nobis in nullam reditus spem actum est; sed si viventes adhuc descendimus, nihil utilius, nihil ad salutem nostram efficacius potest accidere. Descendamus ergo in infernum hodie; ne unquam illuc descendere cogamur; inspiciamus, quid ibi agatur, quin ea sentiamus supplicia, atque mœstissimę ejus lucis favore, quę ex tenebricosissimis flammis refulget, infelicissimam relinquamus viam, quæ illuc adducit. *Ibidem*.

Questus, & preces mali divitis in inferno.

Audite (Fideles) miserum hunc damnatum, qui rogat Abraham, ut Lazarum mittat in terras, qui fratres edoceat suos, ut convertantur, ne & ipsi in devorantes flammas labantur. Heu quæso, clamat ille, dic fratribus meis verissimum esse, quod est infernus: *Crucior in hac flamma*. Crucior, & in æternum cruciabor. Dic illis, mundum deceptorem esse, a quo proditus sum, opes meas mihi interitus mei causas fuisse; voluptates meas in hos æternos ignes me dedisse præcipitem. O divites voluptuosi damnatum hunc audite. *Ne veniant in hunc locum tormentorum*. Dic illis, ut quibuscumque laboribus, sumptibusque has flammas evitent. Vah! Si illud tempus haberem, quo illi abutuntur, quę supplicia minime ferrem? quot laboribus exercerer? quam agerem pœnitentiam ut cœlum lucrarer? ... Si crucifixum manu præferens ad inferni ostia clamaturus accederem: Sævissimi dæmones, miseri damnati; tandem aliquando vobis parcit Deus vester, si pœnitentiam egeritis, ejusque misericordiam petieritis. O Fideles! infernum in paradisum convertetem; lætitiam in ea tristitiæ, horroriſque loca inferrem, & omnes ille deplorabiles victimæ cum hilaritate suos ignes, flammasque offerrent Deo, illius justitiæ satisfacturæ. Heu! Damnatos convertetem, Christianos vero minime converto. Illis Dei nomine peccatorum veniam polliceor, illis recipio, me ipsos eductarum ex inferno, in quem se præcipites dedere, & nemo unus ne commotum quidem se ostendit. *Ibidem*.

Christiani inferni pœnis non afficiuntur.

O ultrix Dei mei dextera, quam gravis es, & vulnera tua, quam terribilia! Anima Christiana, quomodo veritates has credere potes, quin illas timeas? Anceps inter cœlum hæres, & inferos: ignes illi pro te succensi sunt, nisi te Paradiso dignum præbueris; ignis æterni carcer te expectat, si tua libertate abuti perrexeris. Hæ pœnę, ac devorantis ignis cruciatus esse debent hæreditas tua, si illicitas voluptates adhuc fueris confectata .... fateor equidem mihi satis verborum non esse, quibus illum significem stuporem, quem mihi injicit fidelium insania, qui in mortalis peccati statu versantur, nec satis animum advertunt periculo suę damnationis. Qui mari navigant, duobus digitis a morte distant; mortem inter & vitam, nonnisi tabulę intereſt crassities. Peccatores illi sub pedibus habent mare ignis, & ab eo fragili tantum vita, ac sexcentis obnoxia periculis separatur. Ut in hanc flammarum voraginem ruant, tantum sequitur temporis, quantum morti eisdem inferendæ satis est. Fierine potest, ut in hujus voraginis ora, ac duobus tantum digitis ab æterna damnatione sejunctus pacatam, quietamque vitam traducat? *P. Texier Sermone pro feria sexta post secundam Quadragesimæ Dominicam*.

In hac vita ignoramus quid sit æternum carcere Deo.

Impius est reprobus; ignorans Deum, at ad eum numquam advertens animum, in hac vita non affequitur, quid sibi velit ab eo in æternum abesse. Hunc in inferno cognoscet; ad hunc cogitationem convertet: in æternum a Deo separatus sum, Deus me in æternum odit, & dereliquit. Flammæ nequaquam inferunt tormentum pari illi, quod crudelis hæc cogitatio parit in anima: A Deo separatus sum, & nihilominus pro Deo factus sum; ex eo animi studio, quo in ipsum feror, video, nullam me nisi in ipso lætitiam, nullamque requiem invenire posse: attamen ab eo separatus sum. Jam actum est; numquam videbo illum in terra viventium, ubi suorum felicitatem constituit: *Dixi, non videbo Dominum in terra viventium*. Saltem in hoc statu funesto eadem esset illi cura, & providentia pro me, quam in terris habet pro hominibus nequam, & quam pro ipso etiam Cain habuit. Sed ex quo palam edixit me non esse amplius populum suum, ipsumque nolle amplius esse Deum meum, me penitus deliquit; & ego *oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde*. *P. Aurelianensis, Sermone de alterius vitæ suppliciis*. *Isaiæ 38.* *Psalm. 30.*

Hinc quidem damnati magno sese impetu rapi sentiunt, ut in Deum, tamquam supremum bonum ferantur; inde vero peccatis eorum invictum objicientibus vallum Deum inter, & ipsos, sese magna vi inde sentiunt repelli. Infinitis Dei perfectionibus illecti, respiciunt supremum hoc omnium creaturarum bonum; sed ejecti a supremo hoc bono, quod numquam futurum est bonum ipsorum, in violenta hac suspensione patiuntur ultra quam possit cogitari. Bonitas ejus illos offendit, quia illorum eorumdem non misseretur; ejus potentia illos perterret, eos enim sub ultionum suarum pondere opprimit; justitia, atque æternitas illius ipsos ad desperationem adducunt; etenim nisi ille Deus esse desierit, ipsi numquam miseros esse cessabunt: felicitas ejus efficit, ut perenni rabie æstuent; etenim hac quamplurimos efficiente beatos, ipsi se mortalium omnium infelicissimos esse cognoscunt. *Ex morali Dictionario*.

Ejusdem argumenti. Quem dolorem afferat pœna damni.

Descriptio Reprobi inter flammas inferni.

Fingite vobis, Auditores, horridum carcerem in terræ centro situm, quem sulphuris, ignisque stagnum Scriptura vocat; sed stagnum ignis, in cujus comparationem noster ignis, ut Patres docent, umbra tantum, & nihilum est; ignis adeo subtilis, ac permeantis, ut sine materia, atque nutrimentis subsistat. Huc reprobi omnes conjicientur; in tetrimum hunc carcerem, Davidis consilium secuti, animo descendamus. Videtisne, quomodo infelices ęę victimæ, undequaque flammis sunt involutæ? Videtis, quomodo hic ignis ipsa usque viscera permeet, quomodo venas, arterias, nervos, & medullas etiam pervadat? Videtis sanguinem in venas diffluere magis ferventem, quam fusum plumbum, propius imitantem torrentes metalli candentis ex fornacibus effluentes, quam humorem, quo vasa illa repleri consueverunt? Verum admiramini naturam ignis hujus urentis, atque corpora permeantis, quin illa consumat; admiramini vim, & subtilitatem hujus ignis, per se immediate animas ipsas urentis, & excruciantis: sed præsertim admiramini sapientiam ignis hujus perquirentis, & distinguentis corporis membra, eaque varie torquentis prout magis, minusve nocentia fuere. Quam caro pretio superbis, atque impudicis oculis stant obtutus illi contemptores, impuri, indignabundi! Quam caro stant pretio effræni linguæ singula obtrectationis, irrisionis, impatientiæ, blasphemiæ verba! Quam severe ultricibus punietur flammis omnis hæc corporis mollities, bibendi, & comedendi voluptas; hæc indumentorum vanitas; ille superbus, & mollis incessus! O Domine, quam suavia sunt miracula tua, cum bonitas tua operatur illa: sed quam terribilia sunt, cum sese illis tua immiscet justitia! Quid bonitas tua possit, in Babylonica fornace palam innotuit; sed hic quinam justitiæ tuæ videntur effectus! Corpora, quæ semper uruntur, quin absumantur; animæ, quæ semper patiuntur, quin unquam doloribus affuescant; ignes semper torquendo, & miseri semper ferendo pares. Quæ prodigia! sed quæ justitiæ, atque severitatis prodigia! *Sermo manuscriptus*.

De infelice æternitate.

Nescio equidem, Auditores, quæ sit vestra cogitatio; ego tane fateor, me hac obrui æternitate: in æternum ultoris Dei flagellis torqueri: in æternum creatarum rerum omnium odia subire: in æternum sævi instar carnificis seipsum exquisitissimis cruciatibus laniare: hæc me de mentis usu dejiciunt. Carcer obscurus, horribilis fœtor, ignis, ardentesque camini; quamquam hæc aliquot tantum annos essent duratura, quam gravia nihilominus essent supplicia! Sed carcer æternus, nox æterna, fitis, & fames rabida, & æterna, lacrymæ, questus, suspiria, singultus, gemitus, fremitus dentium, æterni ignes, & fornaces æternæ, rabies, & desperatio æterna? Heu! magnitudo, gravitas, multitudo suppliciorum inferni mihi horrorem

cient, ac terrorem incutiunt; sed eorum æternitas meas cogitationes confundit, sanguinem gelu adstringit, ipsamque vocem fere intercludit. *Idem.*

Quomodo sola cogitatio æternitatis damnatos excruciet.

Aliquid adhuc terribilius video quam quidquid hactenus dictum est; videlicet videre, & cognoscere, quod in omnem æternitatem hi cruciatus sunt perferendi, & semper menti præsentes futuri sunt; ita enim reprobus infelix singulis momentis totam simul patitur æternitatem. Colligit, ut ita dicam, omnia æternitatis tormenta; illa confiderat, illis suam adnectit cogitationem, quin inde illam ne momento quidem valeat avellere; ut totius æternitatis pondus illum singulis obruat momentis. Scit postquam centum annos pertulerit, iterum alios centum sibi perferendum esse, mox alios iiem centum; quid dico? & deinde alia decies centena annorum millia? Quid iterum dico? Videt postquam plures annorum myriades arserit, quam in cœlo sint sydera, in littore arenæ, atomi in aere, inferni ignem æque ardentem futurum, iram, cujus halitu incenditur, æque inexorabilem, corpus, & animam, quę hoc igne torquentur æque dolori ferendo idonea futura, ac re adhuc integra. Damnatus hæc omnia videt, atque suppliciorum æternitate confunditur. Dubitatis adhuc, num post hæc furor illum agat, desperatio, affectusque omnes vehementius, quam omnes simul furiæ, illum exagitent? *Idem.*

Quomodo credi potest infernus, & committi lethale peccatum, quod nos illuc præcipites dare potest.

Quid! infernus est, & inveniuntur peccatores! Credunt Christiani infernum esse; & infernus hic repletus est Christianis. Unica lethalis noxa nos in infernum præcipites dare potest, atque medii in peccandi occasionibus versamur? Peccamus ridentes, atque lætantes, & peccatum nugas putamus. Fateor equidem hoc me intelligere nequaquam posse; quod simul credatur ob unum lethale scelus nos ruere posse in æternam infelicitatem, qualem vobis describere adnisus sum, & millies adhuc magis terribilem, atque nihilominus mortale crimen nullo in discrimine habeatur, atque facile passim committatur. Quid? Creditis, obtrectationem, calumniam, obscœnum facinus, impudicum desiderium, ultionem, fœnus efficere posse, ut in æternum miserrimi sitis, & quotidie in occasione versamini in hæc peccata ruendi? Vos has nugas putatis, urbanitates, jocos, Vos temere, jocantes, & quin ne sentiatis quidem ista committitis? Qui hęc agunt, fierine potest, quominus vel infidelitatis nomine, vel insaniæ arguantur? Infidelitatis est hæc Religionis principia non credere, at stultitiæ agere perinde ac minime crederentur. *Idem.*

Confusio, & dolor, quod inferni pœnas aliquis ultro subierit.

Quis dolor potuisse adeo terribile evitare calamitatem, & neque illam prævertere, neque evitare voluisse! Ultro infiniti boni jacturam fecisse, ut in miseriarum abyssum decideres! adeo terribile supplicium meritum fuisse, ut tuam cupiditatem expleres, ut honorem consectareris, nihil sumo ipso solidiorem; ut bonum acquireres, quod intra aliquot momenta evanesceret; pro fluxa fragilique re quapiam, pro nihilo! Ignarissimum quidem esse oportuit, ut te æternæ objiceres contumelię; imprudentissimum, ut te in ardentem conjiceres fornacem nequissimæ improborum catervæ paratam. Quam turpe est animæ rationali, fideli, destinatæ ut regnet in cœlo, in terræ centrum cecidisse ibi in æternum sævissimis torquendam cruciatibus, quin aliquis illam consolari, illi solatium afferre, immo neque tantam ingemiscere calamitatem, neque ullum doloris sensum testari dignetur? *Liber cui titulus: Remarques sur diverses sujets de Religion, & de Morale.*

Damnatorum societas gravissimum illis erit tormentum.

Optandum esset, ut impii animo concipere possent tormentum illud, quod ex sibi similium societate patientur in horrenti eo loco, ubi aliquando omnes divina justitia congregabit; ibi horribile quidem fiet bellum. Homines fide, lege, honore, humanitate carentes, qui sese mutuis persequentur odiis, qui in id unum erunt attenti, ut alii alios torqueant, ut alii alios lanient, atque discerpant, oculis semper ira micantibus, manibus semper furoris sui instrumenta versantibus; vehementissimę rabiei convulsionibus semper agitati; facie semper gerentes minacia, ac terribilia perditissimę desperationis indicia. Innumerabilis hominum hujus farinæ acervus quomodonam efficiet, ut suis clamoribus, gemitibus, ululatibus abyssi omnes resultent? Eorum aliquis doleat vicem suam; jam omnia in illum convertuntur ora gravissimis illum probris onerantia: in doloris sensus erumpat, contumeliæ, ac injuriæ unicum illius erunt solatium: sociis eorum exprobret calamitatem, omnes undequaque in illum insilient. Proh Deus! quorum improbum illorum evadet ingenium, cupiditas, sævitia, cum alii aliorum carnifices fient. Miseri cum miseris, ultores cum ultoribus; urbanitas nulla, nulla ratio, nullus metus frænum injiciet mutuis odiis, quibus sese ultro citroque persequentur. *Idem.*

Deus damnatum in inferno derelinquit, oscr 5.

Quam gravis, fulmineusque ictus animæ reprobæ erunt funesta irati Dei verba ista: *Non populus meus, nec ego vester.* Quasi diceret Deus: Noluisti me cognoscere; oculos clausisti, cum me tibi objiccrem, cum tibi ultro occurrerem; me non amplius videbis: noluisti vocem meam audire, cum te vocabam; nunc te opem meam implorantem non audiam: noluisti me quærere, & me numquam invenies; noluisti mea esse, & ego non ero tuus; *Non populus meus, nec ego vester.* Quam terribile est illud! non posse unquam cognoscere Deum, non posse in eo sperare, non posse illum diligere, non posse illum Patrem, Regem, Salvatorem tuum appellare; exui jure omni, quod tibi adeptus fuerat Jesus Christus in ipsum Deum, tamquam in postremum finem, æternamque tuam felicitatem, videre Deum omnes abijcientem qualitates Patris, Amici, Salvatoris erga calamitosissimam animam. Deus non est ultra meus; ego non sum amplius Dei; Deus totius mundi meus ultra non est. Heu! quid ergo es Domine huic infelici? Hostis illius sum, & criminum ejus vindex. O terribilem mutationem! Nonne, Domine, satis grave supplicium est, si illam non diligas amplius? oportetne adhæc, ut eam persequaris? Nonne satis est, illam non invenire ultra suavissimas invitationes tuas, dulcissima verba? oportetne, ut etiam maledictionibus obruatur? nonne satis est, illam in manibus suis non reperire amplius favores, & gratias, quibus illam persequebaris; oportetne, ut pro illis tela, & fulmina nanciscatur? Nonne satis est, illam non videre amplius in corde tuo amorem illum, qui toto cœlo matrum dilectionem superabat; oportetne, ut præterea te odio succensum, iraque in se inflammatum conspiciat? *Sermo manuscriptus.*

Quam miserè torquetur reprobum studium illud quo fertur in Deum, & odium, quo illum persequitur.

Finge tibi si lubet, torrentem, qui magno impetu fertur, valla, aggeresque infringentem, & quidquid pernicissimis fluctibus suis adversatur, involventem, secumque trahentem; finge tibi furentem ventum, nemora convellentem, urbes prosternentem, & obvium quodlibet promiscue rapientem, & conterentem; finge tibi conatus, quassationes, & subversiones, quas parit ignis cuniculis subtus terram inclusus, ut carcerem suum infringat, atque libertatem suam consequatur; nihil animo concipies, quod exæquet eam vastationem, quam in reprobi corde gignunt duo isti affectus studii, simul, & odii, amare, atque indesinenter odisse idem objectum; ardenter amare sine spe possidendi, quod amatur; ultra modum odisse sine spe evitandi conspectum illius, qui odii est objectum. Quodnam supplicium nihil eorum obtinere, quæ ardentissime desiderantur, & semper ea pati quæcumque maxime perhorrescimus! *Idem.*

Dolor reproborum in superno ob cœlum amissum.

Suavissima Beatorum sedes! tu mea sedes esse poteras, & ego te amisi. Beata prædestinatorum sors! in me positum erat eadem frui, & illam perdidi. Inexhaustus omnis felicitatis fons, cumulus beatitudinis; Deus essentialiter bonus, & infinite amabilis, te possidere potui: nihil a te reliquum factum fuit, quominus prohiberes interitum meum, o Deus! Quid intentatum a te relictum est, ut me salvares! Mihi non placuit servire tibi, teque diligere, dum vita fruerer; nunc vero in nullam reditus spem te in omnem æternitatem amisi. Omnia mea culpa inferire; nihilque mihi restat præter ploratus, pœnitentiam, desperationem. Dei duratio justa mensura est infelicissimi fati mei. Illi, quos reliqui, & qui adhuc in terra vivunt, possunt adhuc beatam sibi acquirere vitam; at de me jam actum est; incepta jam est æternitas mea, & infelix ero in æternum. Valete consanguinei, amici, & omnes, quibus olim in delitiis eram, & qui me diligebant; nullum mihi superest subsidium, consolatio, spes, misericordia, tempus. Infernus æterna est habitatio mea: ignes, quos manus Omnipotentis accendit; sunt elementum meum; omnia simul tormenta hæreditas mea; Deus mihi irreconciliabilis est inimicus, & infelicissima æternitas sors mea. *Sermo manuscriptus.*

Quid fecerunt Sancti, & quid nobis

Quinam mirabitur Sanctos tanta præstitisse infernum evitaturi? Nihil ad id nimis unquam fieri potest. Satis enim unquam fieri potest ad æternam calamitatem evitandam? Sancti multa quidem

faciendum ut evitemus infernum.

dem facere, sed qui Christianus est, qui sapiens, efficere potest pauciora? Heu! Ad vitam servandam cum ultoribus; urbanitas nulla, nulla ratio, nullus metus frænum injiciet mutuis odiis, quibus sese ultro citroque persequentur. *Idem.*

Quam gravis, fulmineusque ictus animæ reprobæ erunt funesta irati Dei verba ista: *Non populus meus, nec ego vester.* Quasi diceret Deus: Noluisti me cognoscere; oculos clausisti, cum me tibi objiccrem, cum tibi ultro occurrerem; me non amplius videbis: noluisti vocem meam audire, cum te vocabam; nunc te opem meam implorantem non audiam: noluisti me quærere, & me numquam invenies; noluisti mea esse, & ego non ero tuus; *Non populus meus, nec ego vester.* Quam terribile est illud! non posse unquam cognoscere Deum, non posse in eo sperare, non posse illum diligere, non posse illum Patrem, Regem, Salvatorem tuum appellare; exui jure omni, quod tibi adeptus fuerat Jesus Christus in ipsum Deum, tamquam in postremum finem, æternamque tuam felicitatem, videre Deum omnes abijcientem qualitates Patris, Amici, Salvatoris erga calamitosissimam animam. Deus non est ultra meus; ego non sum amplius Dei; Deus totius mundi meus ultra non est. Heu! quid ergo es Domine huic infelici? Hostis illius sum, & criminum ejus vindex. O terribilem mutationem! Nonne, Domine, satis grave supplicium est, si illam non diligas amplius? oportetne adhæc, ut eam persequaris? Nonne satis est, illam non invenire ultra suavissimas invitationes tuas, dulcissima verba? oportetne, ut etiam maledictionibus obruatur? nonne satis est, illam in manibus suis non reperire amplius favores, & gratias, quibus illam persequebaris; oportetne, ut pro illis tela, & fulmina nanciscatur? Nonne satis est, illam non videre amplius in corde tuo amorem illum, qui toto cœlo matrum dilectionem superabat; oportetne, ut præterea te odio succensum, iraque in se inflammatum conspiciat? *Sermo manuscriptus.*

Peccatores infernum non metuentes fidem amisisse dicendi sunt.

Flagitiosum, ac prorsus brutale vivendi genus, cui peccatorum plerique consueverunt, nonne satis ostendit, nullum ipsis superesse fidei, rationisque lumen, ac nullum Christiani hominis sensum? Quomodo enim fieri potest, ut ibi perfusum sit, adesse, ut Scriptura inquit, *ignem æternum* pro impiis, adesse *carceres ardentes, fornaces ignitas, incensi sulphuris flagna, ferventis picis torrentes, flammarum abyssos, intolerabiles catenas, tenebras æternas, tormenta, cruciatus, atque supplicia a Deo irato præparata,* & postea zinore non concuti? Credine potest, hæc prodiisse ex ore illius, quem Propheta *Judicem justitiæ & fortitudine armatum, atque Deum ultionum* appellat, atque nos nequaquam expavescere? Denique concipi potest, nos hæc certo scire, & in peccatis persistere? A fide profecto abhorret, peccatores terribiles has credere veritates. Dæmon ut Scriptura loquitur, *tenebras effundit super os, & superficiem abyssi*, ne calamitosi videant horribiles supplicionum apparatus, quę Divina justitia in pœnam scelerum iplorum destinavit. *Liber, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Utilissimè est cogitare de inferno.

Intermittamus aliquando commercium, quod cum Cœlorum habitatoribus fovere debemus, & viventes adhuc descendamus in infernum, ut ibi teterrimos, ac tenebricosissimos carceres consideremus, in quibus Divina justitia vinctos tenet improbissimum quemque; ut ibi videamus funesta illa theatra, ubi eos ignibus, omnique cruciatuum genere torquet. Horror ille, quem in tristi illa regione umbræ mortis intuiti fuerimus, numquam omnino ex memoria nostra deleatur; minę Dei fortitudine, ac justitia armati efficiant, ut quolibet momento totis artubus contremiscamus. Mox vero cum Propheta dicamus; Audivi hæc murmurantia tonitrua, & præ timore conturbata sunt viscera mea: accidit auribus meis vox hæc minax, & præ terroris magnitudine, quo repletus sum, vox hæsit faucibus meis. *Idem.*

Habacuc. 3.

Memoria patratorum scelerum damnatos indesinenter crucia-bit.

Cogitatio peccatorum, quæ indesinenter sese offerent auctori suo, crudelissimum erit supplicium; hæc illi ingratitudinem, perfidiam, insolentiam, insaniamque exprobrabunt? *Tu nos egisti, opera tua sumus*, ita illa loquentia Sanctus Bernardus inducit. Tu nos fecisti; at nos ulciscemur Deum, quem nos faciens læsisti: *Opera tua sumus.* Agnosce improbas obtrectationes, quas nullo iracundiæ impetu evomuisti; crudeles ultiones, quas tanta cum voluptate gustasti, infames injustitias, quas tanta circumspectione meditatus fuisti; fœdissimas impudicitias, quas tamquam morum festivitatem jactabas &c. *Idem.*

Bernard. l. de anima c. 2.

Conscientia reprobum exprobrabit, eo quod sua culpa fuerit.

Jugiter conscientia reprobum ita exprobrabit: in te situm erat, hæc, quæ pateris, mala evitare, namque pro voluptatis momento es in æternum infelix. Vero ob læsum Deum dolore, esse poteras ex numero prædestinatorum: ridicula vanitas te in calamitatum abyssum præcipitem dedit; atque ita vermis conscientiæ æternos efficiet morsus aculeatos, atque in æterna præteritorum scelerum recordatione æternum pabulum nancisceris. Eheu me infelicem! indesinenter anima damnata clamabit; poteram, si voluissem, nunc Cœlesti beatitudine perfrui, atque ex torrente lætitiæ, qua Beati lætantur, inebriari: non deerant mihi gratiæ; creata eram, ut Deo ipso fruerer, & nolui; nunc vero cum Deum meum amiserim, illum in æternum amisi. Unicum illud objectum, quod beatitudinem meam poterat constituere, perdidi; id vero mihi longe maximum dolorem adfert, quod illum mea perdidi culpa: poteram Cœlum emere eorum bonorum parte, quæ ad id mihi large, effusęque Deus ipse contulerat; redimere poteram peccata eleemosynis; talenta, quæ mihi benignus concesserat Deus, ad majorem illius gloriam, ac ad salutem meam operandam impendere poteram; quid immo facere non poteram, ut Cœlum mererer, & certam facerem cœlestis beatitudinis æternitatem? at hæc neque feci, neque facere volui. *Ex libro Anonymo.*

Houdry Bibl. Tom. II.

Damnati nullum narrare solatium possunt.

Damnatus, qui in æternis inferorum carceribus detinentur, nullum invenire possunt solatium; etenim si oculos in præteritum tempus conjiciunt, sævissimis urgentur stimulis eo quod illud in nullam reditus spem amiserunt: si præsentem suum statum considerant, nonnisi ignem, flammasque intuentur, quibus comburuntur; si futurum contemplentur, totius æternitatis prospectus illis terrorem, horroremque incutit, ita ut super noxium caput suum nihil videant præter inexorabilem Deum, qui irritatus eos punit, sub pedibus ardentes prunas, quibus cruciantur; in corde crudeles stimulos, quibus lanianturr; circumundique horrentia spectra, quibus perterrentur, ac dæmones, a quibus torquentur. *Drexellius.*

Cogitatio infernorum cruciatuum utilis ut in virtute perseveretur.

Sermoni huic finis esset imponendus verbis cujusdam antiqui Patris, qui cum impensius, & enixius rogaretur a fratribus inter solitudines degentibus, ut aliquem apud ipsos habere vellet sermonem, quo illos ad virtutem, atque ad perseverantiam in eo asperitatis genere, quod fuerant amplexi, hortaretur; Magnus hic Sanctus disertissimam habuit orationem, lacrymis potius, quam verbis peroratam, lugubri, querulaque voce exclamans; ploremus, fratres, quæso ploremus, antequam ex hac in aliam vitam migremus, ubi lacrymę ita ardentes sunt, ut oculos, ex quibus defluunt, adurant, & corpora, in quę decidunt, inflamment. Hoc fuit exordium, hæc narratio, hic totius sermonis epilogus, qui tantam vim in audientium cordibus obtinuit, ut hi simul cum illo lacrymas commiscuerint &c. *Idem.*

Monita, quæ nobis damnati præbereut, si illos audire possemus.

Si per aliquod spiraculum auribus nostris possemus excipere funestos gemitus, quos infortunatissimę illę ultionis divinæ victimæ emittunt, scio equidem, illas de imo horribilis carceris esse conclamaturas: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte:* Discite nostris sumptibus, o peccatores. Nos quoque viximus, lusimus, nugati sumus, tempus, uti vos, lasciviis, jocisque traduximus; non luxui, non vanitati, non liberalibus mensis pepercimus: in mundo enituimus generis nobilitate, mentis acumine, industria; sed ecce quo tandem omnia redierint: in omnem æternitatem relegati fumus in horrentibus locis, projecti a facie Dei, sulphureis flammis undequaque pervii, & involuti; ineffabiles cruciatus patimur; & quidquid de hoc tormentorum loco vobis narratur, vix atque ne vix quidem umbra est malorum, quę reipsa nos torquent. *Auctor Anonymus.*

Anima damnata a Deo repellitur, quam vis ad illum accedere adniteatur.

Infelix anima, quę de hac vita in lethalis peccati statu migravit, cum vehementissimo impetu rapiatur in Deum, in medio conatu omnipotenti manu repellitur. Prohibet Deus, ne illa accedat, illam ejicit, atque propulsat, ac in æternum exulem, extorremque agit. O Deus, quę vis, qui dolor, quam incomprehensibilis est hujus animę afflictio? Viditisne unquam fagittam valida contortam dextera, quæ cum in transitu obicem invenit, quo prohibetur ne in scopum tendat, statim magna vi resilit, atque confringitur? Hæc rudis est infirmaque imago gravissimi doloris, quo conficitur anima, cum sese Deum versus tamquam scopum suum ingenti cum impetu attollens in via peccati alicujus obicem offendit, qui illam retinet, atque retorquet. Mirumne est, si ita rejecta sese dolore conficiat? *La Font, Entretiens Eccles. pro prima post Epiph. Domin.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Dicam etiam, Deum ipsum terribili justitiæ suæ effectu magis adhuc excitare, & inflammare desideria, quibus damnati flagrant, ut absentia sua majorem illis dolorem incutiat. Ideo illos pulchritudinis suæ illecebris attrahit, ut deinde illos repellat; atque ut violentius illis arripiat, quod ardentius, ipso auctore, concupiverunt. Miseri illi numquam adeo palam intellexerunt beatitudinem suam unice in Dei visione, & perfruitione consistere; numquam antea adeo vehementi propensione, atque studio illi adhærere optaverunt; Verum nisi Deus tantum videretur amabilis, atque omnibus eorum desideriis abunde explendis idoneus, non esset adeo severus in eos. Quamobrem ideo suę pulchritudinis cognitionem imprimit illis, ut melius sentiant absentiæ ejusdem supplicium; & eorum accendit possessionis suispsius desiderio, ut illos procul arcens a se dolorem hunc acerrimum, & acerbissimum sentiant. O Deus! Quæ terribilis motuum oppositorum, & contrariorum commixtio! Qua vi, quo dolore dilaniare debet infelicissimas animas, quæ simul se & illectas, & abjectas, attractas, atque rejectas ab eodem objecto intuentur; attractas quidem Dei adeo amabilis illecebra, & ejusdem severitate rejectas.

Ad illam suis feruntur desideriis, at simul ab eodem recedunt, quia illas repellit, & rejicit; quinam ergo esse debet damnatæ animæ dolor? Hanc ipsi intelligere non possumus; namque de illo judicamus ex eo statu, in quo adhuc viventes existimus. *Idem*.

Argumenti ejusdem continuatio. Ecce quid in inferno magis horribile, atque intolerabile est, Sanctus Chrysostomus inquit, æterna hæc, atque irreparabilis Dei jactura, hæc funesta separatio a supremo bono, quod adeo palam damnati cognoscent, in quod adeo validis studiis rapientur, & in quod tot jura obtinuerunt, cum erant in statu gratiæ, & cum quo adeo arctis vinculis erant conjuncti .. Hi calamitosi sunt filii abdicati, & ex hæreditatis jure a patrum omnium suavissimo, qui illos bonis cumulaverat, in æternum ejecti; membra sunt violenter a divino Capite avulsa, a quo tot jucundissimos influxus acceperant, & quorum in æternum non erunt ultra participes, sunt sponsæ a sponso repudiatæ, quem non sunt amplius visuræ .... Proh Deus! quam deplorabilis, & funesta sors! Deus nunquam illorum desideriis movebitur, numquam eorum suspiriis flectetur; numquam illis in æternum suam faciem offendet; illi nonnisi repulsas, odia, maledictiones, omnesque maxime terribiles inexorabilis ultionis effectus debent expectare. *Idem*.

Damnatorum pœnitentia, quod abusi fuerint admiraculis quibus salutem sua operati fuerant. Quare putatis Deum jam in inferorum flammis sepulto Diviti, nequa quam offendere voluisse Abraham in gloria throno sedentem? Ut illum confunderet, Patres inquiunt, hominis adspectu, qui toto vitæ suæ tempore summa charitate egenos, ac viatores hospitio receperat. Exprobrare quippe eidem volebat, si Abraham locupies, ut ille fuerat, nequaquam, ut ipsum, opibus suis abundum fuisse; illum bona sua non in luxum, liberales, opiparasque mensas, magnificam servorum catervam, aliaque vanitatis genera insumpsisse; verum in charitatis usum impendisse, pauperibus occurrentem, ut illos suam domum duceret, cum Lazarum divino consilio ad ostium illius adductum immitissimus dives eum fame interire permiserit, eo quod offam eidem præbere detrectaverit. Efficere cupiebat, ut ille intelligeret in ipsius potestate fuisse positum ad eamdem felicitatem pervenire, si eodem pacto opes suas collocasset; ipsumque a cœlesti beatitudine in æternum fuisse prohibitum, propterea quod huic pauperi se illiberalem, atque sævum præbuerat. Tales erunt conscientiæ stimuli in reprobis, atque Dei jactura ideo illis majorem dolorem inferet, quia summam illam intelligent facilitatem, qua tantam evitare poterant infelicitatem; quia videbunt tot felicissimas occasiones, quas elabi passi sunt, & quibus sua expiare peccata poterant dignis fructibus pœnitentiæ; quia recordabuntur tot motus sibi cœlitus immissos, tot inspirationes, tot exempla, quibus usus est Deus, ut illos ad vitæ genus immutandum impelleret. *Idem*.

Quinam debeant esse hominis Christiani sensus, qui sæpe meritus est infernum. *Infernum merui*. O validam rationem, quę in me grati animi sensus debet excitare! Ignis inferni, quis crederet? plurimum prodesse potest ad ignem divini amoris in cordibus nostris accendendum. Infernum merui toties, quoties lethale peccatum commisi; ac toties me liberavit Deus, quoties illum ego meritus sum, & ille me eidem non adjudicavit: quomodo non teneor amare Deum, qui eo tanto me periculo liberavit? Si Deus nunc damnatum, qui inferni flammis comburitur, liberaret, quid illi deberet, quam gratam animum illi testaretur? At numquid nunus illi debeo, quia me ab interitu præservavit? numquid minores habendę a me illi sunt gratiæ? Quot sunt in tanta miserorum turba, qui post mortale scelus semel patratum illuc præcipites dati sunt! ego vero postquam centies, fortasse, peccavi, non uror! Quæ misericordia! Severitas, quam in miseros exercuit Deus, maxime Dei clementiam in me commendat, meque inexcusabilem probat, si ingratus fuero. *Pater Nepveu. Tomo secundo Considerationum*.

Eorumdem sensuum continuatio. *Inferni domus mea est*; hic locus est, ubi esse deberem, si me pro meritis Deus exc.pisset: utique, ignes illi, opprobria, cruciatus æterni pars essent mea, nisi Deus misericordiæ magis, quam justitiæ sensibus paruisset, atque si scelerum meorum vocem audivisset. Profecto inquione ferre possum animo auferitates, quas mihi Confessarius indicit, vel cruces, quas divina immitit Providentia, ubi cogitem, has me pati pro æternis suppliciis, quæ toties meritus sum? Pœnitentis vitę mortificationes acerbæne mihi videri debent, ubi reputem, has mihi infligi pro æternis opprobriis, quibus jampridem damnandus fuissem? Omnia videri debent blanda homini, qui infernum meritus est, eumque satis est meditatus; & nescio, utrum illum hactenus rite fuerim meditatus, & mediter. O magnam timoris causam! o magnam caulam humiliationis! quid scio utrum destinatus sim, ut aliquando ultricium flammarum sim victima? Nihil me tutum facere potest. Ii etiam, qui sanctissimi habentur, tuti non sunt; quinam ergo esse debent sensus mei, cum adeo improbus, & nequam sim? Nonne hæc incertitudo terrorem mihi deberet incutere, itaut semper me pœniteret, & contremiscerem? *Idem*.

De æternitatis duratione. Momento æternitatis nomen profertur; at eadem requiritur æternitas, ut illius diuturnitas intelligatur. *Ubi putas finem invenieri, ibi incipit*, Sanctus Hilarius ait. Qualibet utere mensura, quascumque rationes supputa, cumque te finem nactum esse arbitraberis, semper initium reperies. *Ibi incipit*. Ad hæc tempus, quod numeras in ipsa æternitate contentum non invenitur; sexdecim sæcula, quibus Evangelicus, Dives jam eas passus est flammas, non aliud sunt quam termini temporis, at minime pertinent ad terribilem hanc durationem, quæ concomitari debet supplicia. *Ibi incipit*. Jam re velati adhuc integra incipit pati, & post decies centena annorum millia idem erit, ac si nuper teterrimas ingressus fuisset abyssos; atque eousque pati debebit, donec Deus erit Deus. Proh infelicissimam necessitatem! Proh funestissimam circumstantiam! Semper pati; quin unquam Divinæ justitiæ fieri possit satis O æternitas! quam intolerabiles erunt in seipsis cruciatus rui; sed quam longe graviores erunt in sua duratione! *Bitoat, Sermone pro feria 5. post secundam Quadragesimæ Dominicam*.

Damnati id optabunt, quod numquam invenient, *Apoc. 9.* Infelicissimi reprobi ab ipsa morte suppetias deposcent, & illam indefinenter inquirent, quin unquam valeant invenire. *Quærent mortem, & non invenient*. In hoc mundo eam tamquam suavum voluptatum inimicam metuebant, nunc vero tamquam unicam malorum suorum medicinam implorant: Cum ipsi illam fugiebant, illa eos est persecuta, & apprehendit; nunc vero cum illam inquirant, & persequantur, numquam poterunt invenire. *Quærent mortem, & non invenient*. Sed heu! infernus non est gratiarum locus, neque Jesus Christus pro illis est ultra Deus misericordiæ. Viventin omnem æternitatem singulis momentis morturi; semperque morientes æternum vivent. Mors ut crudelius eos puniat, ipsis erit immortalis; flammæque illos semper comburent, quin ipsos abluman: Spes eorum erit desperatio, ac unicum illorum solatium erit, sese in rabiem effundere. Quidquid illi passi fuerint, numquam cruciatibus, supplisisque suis debitum persolvent: hoc semper integrum permanebit; Deus semper jure ulciscetur, ejusque ira inexorabilis erit. Miseris mortem efflagitantibus id reddet, quod olim imperator quidam nocenti, quem lenta morte, severoque supplicio enecabat: *Nondum tecum redii in gratiam*. Quid ergo, inquient illi, in omnem æternitatem crudelibus flammis nutrimentum ero, ac ultoris Dei justitiæ victima? &c. *Idem*.

Inferni metus salubrimus est omnes que illum debent metuere. Dolor ob æstum Dei numen, quoniam bonus est, non semper primus est actus pœnitentiæ. Quemadmodum ultro dolorem fugimus, peccatum detestamur, quia malorum omnium maximum in caput nostrum detorquet. Hæc prima est dispositio ad perfectam heroicæ charitatis formam recipiendam; quamobrem David orabat Deum, ut intuitu judiciorum ejus, & suppliciorum, quæ subsequuntur illa, carnem ejus hoc timore configeret. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Psal. 118. Timete, Fideles, timete pœnas æternas, quocumque in statu sitis; si enim Sancti timuerunt infernum in solitudinibus, atque desertis, ubi separati erant a mundo; quid vobis faciendum est, qui magnis mundi hujus negotiis estis impediti, qui semper in occasione, & periculo intereundi versamini? Si illi in pœnitentiæ, & austeritatis exercitatione timuerunt infernum, quid vobis in vitæ mollis delitiis, & voluptatibus faciendum est? Timete infernum; sed multo magis timete peccatum, si enim horribilis infernus est, nonnisi propter peccatum est, quod meretur infernum. *In Sermonibus editis sub nomine P. Bourdaloue: Pro feria quinta post alteram Quadragesimæ Dominicam*.

Infernus efficere Dicendum sane est lethale peccatum admodum esse detestabile, quandoquidem pœna illius infernus

debet, ut peccati gravitatem intelligamus. nus est, infernum admodum terribilem esse decet, quandoquidem est pœna peccati. Oportet profecto Deum admodum lædi lethali noxa, quandoquidem ut illius ultionem deposcat, animam, quam dilexit, & summo amore prosecutus est, suppliciorum punit æternitate. Non satis dici potest, quid sit infernus; neque satis explicari quousque peccati nequitia procedat. Nihil aliud potest affirmari, nisi peccatum mereri inferni supplicia, atque infernum cum tota suppliciorum acerbitate, & gravitate æquissimam esse pœnam peccati: hæc vicissim sibi sunt alterum alterius mensura. *P. à S. Martino a Porta in Tractatu de effectibus peccati mortalis*.

De pœna damni, & privatione Dei. Quid est pœna damni? Gravissimus dolor est, & amarissima pœnitentia, qua anima damnata conficitur eo quod Deum suum amisit, & quod in omnem æternitatem funesto huc nomine debet nuncupari, quod non sit populus ejus: *Voca nomen ejus, non populus meus*. Dolor, & pœnitentia, qui intolerabiles sunt, & duplici ex loco illius infelicitati cumulum adiciunt, ut S. Dionysius ait, videlicet ardenti, cæcaque cupiditate Deum possidendi. *Cupiditas amens*; & implacabili, inutilique furore, quo illa Deum annihilare, ac destruere vellet. Cum anima damnata in inferis etiam cum Deo insolubilia habeat vincula, atque illum agnoscat tamquam supremum hominum omnium bonum, illum possidere vellet; cumque necessario ab eodem separata sit, eumque tamquam suum respiciat inimicum, & persecutorem, illum in nihilum redigi vellet. Itaque dolor ex hac privatione profectus, quem Theologi damni pœnam appellant, dolor est maximus, & incomprehensibilis ob immixtionem duplicis hujus motus desiderii, & odii, quę simul esse non posse videntur. *Cupiditas amens, furor inutilis*. Ardenter optare, quod numquam possidebitur; necessario odisse, quod semper optabitur; si mente affequi vales quo usque pertingant hi duo motus animæ damnatæ, jam quænam sit pœna damni, assecutus es. Nihil intolerabilius est, Sanctus Bernardus ait, nihilque magis acrem dolorem ciet, quam indefinenter videre, quod numquam obtinendum est, ac perpetuo odisse, quod semper est perferendum. Damnatus in tristi hoc invenitur statu; quamobrem furoris ejus, sed inutilis furoris objectum Deus est; hunc possidere non potest, & vellet destruere; illi adhærere nequit, & illum ultra non esse cuperet: hic miser ita undique & votis, & odiis torquetur; motibus suis, quibus impellitur, & manu Dei, qua propulsatur. *Joly in Sermone quodam hujus argumenti*.

Argumenti ejusdem continuatio. In natura anima est imago Dei per essentię ipsius participationem; in gratia quoque ejusdem est imago per participationem sanctitatis; in gloria vero futura est etiam imago ipsius per felicitatis participationem; quæ cum ita sint, egregie dixit S. Augustinus, quemadmodum Deus nonnisi per suiipsius possessionem contentus esse potest; animam, quæ est imago Dei, nonnisi Dei ipsius possessione esse posse contentam .... Porro si anima hæc propter Deum tantummodo facta est, si cum eodem infinito nexus habet, ac relationes, si Deo unice, immo toto Deo potest repleri, conjice quinam futurus sit ejus dolor, & desperatio, cum eodem vacua erit, ac sciet, se numquam eumdem esse possesturum, *Idem*.

Pœna damni quibusdam reprobis gravior est, quam cæteris. Quamvis damnati omnes eamdem jacturam patiantur, quia eodem bono carent, videlicet æterna Dei possessione; nonnullis tamen hæc jactura acerbior est; vel quod potiori jure infinitum hoc, quo carent, bonum sibi deberi putabant, vel quod majori ejusdem potiundi spe tenebantur, vel quod facilius illud assequi poterant, vel quod majori cum improbitate illud reliquerunt, vel quod Divina justitia majorem ejusdem illis tribuit cognitionem, & efficit, ut melius intelligant inæstimabilem felicitatem, quæ in æterna illius perfruitione sita est, utque magis doleant eo quod sua culpa tanto excederint bono, & magis hæc privationis pœna puniantur. Quis autem comprehendere potest animæ infelicis supplicium, quæ semper in Deum fertur, & semper a Deo repellitur; semper fertur in Deum, qui infinita ea potestate, qua ipsam a se trahit, in anima hac motum imprimit fere infinitum, per quem ad illum infinita propemodum pernicitate rapitur, semper a Deo repellitur, qui cum æternis odiis reprobam animam persequatur, eam a se infinitis removet spatiis, itaut numquam ad ipsum usque pertingere valeat. *Fromentieres, Sermone de pœnis inferni*.

Reprobi Tunc aperientur oculi tui, o peccator, atque tu ipse tuæ vivendi rationis excitatem condemnabis. Tunc æternitas, cujus cogitationem hodie procul arces, te invito sese offeret animo iis omnibus circumsepta suppliciis, quę maxime sunt horribilia. Tunc illa deteget tibi cruciatuum immensitatem, malorum abyssum, flammarum pelagus, in quo verfaberis in nullam reditus spem. Tunc illa tibi exhibebit innumerabilem hanc annorum seriem, hanc infinitam sæculorum multitudinem, qua infernis ignibus dæmonum, qua sævitia torquendus eris, quin unquam in prolixa hac annorum, & sæculorum serie, vel ullum finem, vel ullam tormentorum imminutionem invenias. *Idem*.

Reprobi æternitatę infelicissimam considerantis fructus. Quovis momento me in calamitosissima hac æternitate considerem, reprobus dicere potest, me semper æque calamitosum invenio; & quantumvis longe infinitam hanc durationem prospiciam, nihil mihi nisi principium occurrit: *Ubi putas finem invenire, ibi incipit*, S. Hilarius ait, reprobum allocutus. Post centum annorum myriades nullum æternitati meæ finem inveniam? Hæc profecto duratio nimis esset diuturna iis malis, quæ patior; sed tunc re velut adhuc integra æternitas incipit: *ibi incipit*. Post centum sæculorum myriades, *ibi incipit*. Denique quacumque utar mensura, ut hanc scruter abyssum, nullum unquam finem invenio; vorago est, in qua obfundor; pelagus est, in quo submergor: plures sunt annorum myriades, plures myriades sæculorum, quam aquæ guttæ in tota oceani immensitate, quam arenæ grana in tota terrarum extensione. *Ubi putas finem invenire, ibi incipit*. *Idem*.

Inutilis damnatorum pœnitentia. Peccator, quænam erit tristitia tua, te videns ita derelictum a Misericordia Dei, a divino ejus conspectu proscriptum, severissimæ ejus justitiæ traditum, inexorabili ejusdem iracundiæ immolatum, infinita ejusdem potentia cruciatum, factumque, ut ita dicam, æternam ejusdem æternitatis victimam .... Heu! tunc dices, quonam abierunt ambitiosa consilia, amoris negotia, ultionis meditamenta, lenocinia, sodalitates, convivia, ludi, gaudia, deliciæ, honores, aliaque omnia, quorum amorem ipsi saluti meæ censui anteferendum? *Transierunt illa omnia sicut umbra*, nihilque mihi relinquerunt, nisi infinitam pœnitentiam, atque æterna supplicia. Verum quid? itane actio quæ momento peragitur, verbum, quod aura dispergit, oculorum conjectus fulmine ipso celerior, consensus, qui nostram ferme cognitionem fallit, adeo noxia tibi videantur, ut ea æternis digna suppliciis existimes! Vah! peccati improbitatem ignoras. *Idem*. Sap. 5.

Dimnatorum dolor quod tempus, quo salutem suam operari deberat, in nugas impenderit. Heu! reprobus inquiet, si eo momento bene uti voluissem, id si fecissem, quod facere poteram, & quod modo facere nequeo! Eo momento, quod unicum in mea fuit potestate, & quod numquam redibit; eo momento, quod in ludis, nugis, ac ignavia traduxi; eo momento, quo in manibus meis fortuna mea versabatur, dominus eram, & arbiter felicitatis meæ. Triginta, vel quadraginta annis mihi integrum fuit in felicissima habitatione sedem locupletissimam, elatissimamque mihi comparare, & ne cogitare quidem dignatus sum! O momentum, pretiosum momentum, numquamne reverteris? numquid in æternum pro me abiit non rediturum? *P. de la Colombiere*.

Cur Deus infernum creaverit. Mirum sane est quod Deus Infernum creare debuerit, ut postquam tot beneficiis homines cumulasset, prohiberet, ne ab ipsis offenderetur. Ille sane vel nimis infirmos censuit, vel nimis ingratos. Verum mirum quoque est, quod hoc ipsum a conatibus nostris illum minime tueatur. Deus salutis nostræ zelo infernum fecit; sed quare o Deus, illius vel majorem nobis cogitionem tribuisti, vel majorem incussisti timorem? Cur adeo terribiles pœnas peccatori parasti, vel cur illas huic abscondisti? Ille sese omni scelerum genere prolusisset, nisi hoc vallo ipsius licentiam cohibuisses; verum quidem est; sed minima etiam evitasset crimina, si ea spectasset tormenta, quibus ea punis. *Idem*.

Cogitatio æternitatis supplicium. At enim desideres, si æternitatem cogitares. Putas ergo nonnihil horribile, at quæso, te id non cogitante numquid ideo horribile non est, vel pro te futurum non est? Si sola cogitatio tantum horroris ciet, quid erit pati? Ac aliquid ita horrendum est, dicis, ut cogitare non possis; verum non metuis futurum, ut iis pœnis affici possis? Hoc illud est quod non intelligo, & numquam intelligam. Horret animus, mortem cogitare, non miror; plurimi te fortiores sanctioresque fine metu, ac trepidatione eam recogitare non poterant. Pœnarum inferni æternitatem perhorrescis, ac in illas te præcipitem agis? *Idem*.

Si